
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
31 I
29

A

Frat: Christo: O. S. B. sculp. Raytra.

TARTARO CLYPEUS,

EXCIPIENS

TARTARO MASTIGEM HERTODIANUM.

IN QUO

Præter Sententiarum ab Authore prolatarum discussionem & examen; nova, & rara, de Cælo, Igne, Aëre, Sole, Grandine, Pluvia, Calore, Frigore, Nitro, Vitriolo, Auro, Crystallo, & Gemmis, Lapidibus, Calce, Affectione Hypochondriaca, Epilepsia, Colica, Calculo, Arthritide capitibus subsecivis insperguntur.





Objectus

A

WENCESLAO MAXIMILIANO ARDENSBACH, de Ardensdorff, Phil: & Medic: Doctore, &c.

Cui accessit

DISCURSUS.

In Opus Mirificum, Sextæ Diei D. Hertod.

Item

Animadversio in Crocologiam Hertodianam.

Anno quo

TartarVs MoraVLæ IrrIDebat
FLageLLa In se eVIbrantIs.

PRAGÆ,
Typis Universitatis Carolo-Ferdinandeæ in Collegio Soc: Jesu, ad S. Clement. 1671.

CENSURA.

Librum cui Titulus est TARTARO-CLYPEVS, &c. Perlegi, nihilque in eo Philosophiæ adversum reperi, quod impedimento esse possit, quò minùs typis mandari, ad curiosi Lectoris explendam orexin valeat. Pragæ in Coll: Acad Soc. IESV, &c.

Matthias Tanner, è Soc: IESU SS. Theol: Doct. & Prof. Ord. ac Phil. Decanus.

Legi Librum cui Titulus TARTARO-CLYPEVS, compositum ab Excellentissimo D. D. Ardensbach, in quo nihil reperi Fidei aut bonis moribus contrarium, quin imò multa observavi ex quibus curiosum & eruditum Authoris ingenium colligere licet. Pragæ in Coll. Academico Soc. JESV ad S. Clement. die 2. Decembris, Anno à partu Virg. 1670.

Maximilianus Reichenberger, è Soc: IESU SS. Theol: Doct: ejusdemq; Facult: in Univers: Carolo-Ferd Pragensi Decanus.

Cum Nobilis & Excellentiss: D. D. Ardensbach TARTARO-CLYPEVM, variâ & curiosâ eruditione refertum, TARTARO-MASTYGI Nobilis & Excell: D. D. Hertod, valde solidè & Nervosè opposuerit, ita ut eruditus & curiosus Orbis litterarius tam Philosophicus, quàm Medicus habeat quod spectet & observet; indéque ex ungue Leonem colligere eidem liceat. Do itáque licentiam (cum nihil contra fidem & bonos mores ibidem reperiatur) ut imprimi possit. Dabam è Musæo meo, die 3. Decemb. Anno 1670.

Iacobus Ioannes Wenceslaus Dobrzensky de Nigro-Ponte, Phil. & Medic: Doctor, nec non Ejusdem Facultatis Professor Extr: & in Universitate Carolo-Ferdinand. Pragensi p. t. Rector.



Fra: Christo: scul: Rayhrady.



REVERENDISSIMO ET
CELSISSIMO DOMINO,
D. CAROLO,
DEI GRATIA
EPISCOPO OLOMUCENSI,
DUCI,
S. R. I. PRINCIPI, REGIÆ CAPELLÆ
BOEMIÆ, ET DE LICHTENSTEIN
COMITI.
SUÆ REVERENDISSIMÆ CELSITUDINI.



Ei & Apostolicæ sedis Gratia Moravorum Episcopum TE constituit CELSISSIME PRINCEPS. Constituit inquam TE speculatorem, ut vitam & mores populorum infrà TE positorum speculeris, *& prospicias,*

 c. cle-

c. cleros verſ. Epiſcopatus diſt: 21. Et meritò in TVAM Celſitudinem hæc dignitas (ſic enim appellatur *c. quorum vices diſt: 68.*) vel ſi mavis cum *c. qui Epiſcopatum cauſ: 8. q. 1.* Bonum opus) conferri debuit; cùm enim Lux in ſublimi locata eſt, indéque in terras omnium profunditatum abyſſus illuminatura deſcendit. nec candela accenſa ſub modio ponitur, Matth: 5. TVA gentilitia Lux non illa tenuis, & rara, ſed in lapideam condenſata maſſam (dixerim Carbunculum) Luci Epiſcopali aſſocianda fuit, ut Lux Luci addita potentiores in ſibi ſubjectos emittat ſplendores: ſunt enim Epiſcopi *Succeſſores Apoſtolorum per c. in noua diſtin: 21. & c. quorum vices diſt: 68. c. Eccle-*

ſia

ſiæ diſtin: 35. quos Chriſtus Lucem mundi appellavit *dicto c. Matthæi 5.* unde & illi Lux & Luminaria Eccleſiæ ſunt ex conſequenti, quia idem officium & munus exercent *dict: c. in nova diſtin: 21.*

Si Carbunculus (qui ex copioſiſsima condenſata Luce in primordiali naturæ ſulphure, ità mirabiliter cum aqueis & ſalinis principiantibus particulis mixto, hoſpitante coaluit) nocturnas fugat tenebras, per hoc pretio inæſtimabilis, Monarcharum vertices coronare meruit. Quidni & TVA Celſitudo in ſummo Moraviæ apice ad exornandum ſummi Dynaſtæ verticem collocanda fuit? ut ſcilicet, cum Lux è ſublimi in profundum deſcendat TVA multiplicata Lux,

profundissimas quasque animorum abyssus subintret, & illuminet.

Cum igitur tam copiosa cælestis, & terrestris, cum natalitia se Lux maritavit, quis non omnes animorum, scientiarúmque tenebras, ad præsentiam tantæ Lucis persistere non posse ominabitur? Ità & Hæreses fugiunt, & fugatæ sunt, & præposteræ corriguntur opiniones, disciplina invehitur, nullibi vitijs, tenebrarum abyssis, locus aperitur, pellitur omne, quidquid vel in minimo tenebras adumbrat.

Quare libellus meus Tartaro innocuè flagellato clypeum porrigens, veritatem propugnans, & aliquid Lucis Gentilitiæ participans,

pans, idcirco in tenebris militare insvetus, ad TVÆ Celsitudinis tam gentilitiam, quàm Episcopalem, & Ducalem Lucem confugere voluit, inibi quàm submissisimè imploraturus tenebrarum discussores, errorúmque illuminatores radios. Neque id pace Celsitudinis Tuæ immeritò: Lux enim & Veritas assymbola, imò idem esse videntur, siquidem Lux, quæ omnem hominem illuminat Ioann: 1o. etiam se Veritatem esse Ioannis 14. profitetur. adeoque Veritas illuminativa intellectus sinè Luce minimè subsistet. Controversiam suam, & litigia si licet per Authent: *habita C. ne filius pró Patre* scholaribus ad Episcopum etiam præ-

terito ordinario Iudice deferre, aut cuilibet in Iudicem sibi eligere Episcopum sit licitum *C. de Episcopali Audientia*, *l. Episcopale judicium*, quidni & controversiam litterarum, ubi de Veritate pugnatur non scholaribus, sed Doctoribus Episcopo dicare licebit? Nulla sanè melior ejusmodi dirimendæ aut sopiendæ litis instantia invenibilis, quia *Episcoporum cura est, Magistros & Doctores scientiarum c. de quibusdam dist: 33. constituere: qui enim Superintendentes per c. qui Episcopatum caus. 8. q. 1.* nominantur, in omnem animorũ motum superintendunt, omnia tanquam Dei oculus cernunt: sunt enim illi ipsi *Oculus Dei distin:*

ſtin: *6.c. qui oves*, & eruditiſsimi habeantur *diſtin*: *6.c. qui ex Eccleſiaſticis*, *item c. ſi quis*. Ejusmodi Iudicibus ſimile litterarum litigium erit præſentandum. Vnde ut temeritati meæ Tva Celſitudo veniam largiatur, humillimè rogo; Patronus enim alius libello meo quæri non debuit, quàm qui ſublimitate ſuperintendentiæ & ſplendoris, firmitate Lucis Carbunculari, Veritati â me propugnatæ aſſiſtere poſſit, eámque fugatis copioſiſsimâ Luce tenebris in libertatem vindicaret. Tvis ergo radijs libellus meus illuminatus Celsissime Princeps vadet ſecurè per orbem univerſum, ſub tua ſpecula pugnabit feliciter, Tvis Epiſcopalibus & Ducalibus

insignibus protegetur stabiliter, & sic Veritas TVÆ Celsitudini dicata ad Lucis lapidem affigetur perenniter. Hoc ut eveniat, submississimè precor. Fave ergo Dux inclyte, ac PRINCEPS CELSISSIME.

TUÆ CELSITUDINIS

Brunæ è Musæo meo, Anno 1670. die S. Carolo Borromeo Sacra.

Devinctissimus

WENCESLAUS ARDENSBACH, de Ardensdorff, Philosophiæ & Med. Doctor.



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Uæres B. L. quid causæ habuerim, hoc scripto impugnandi Authorem, Tartaro-Mastigis; qui tamen in me nequaquam injurius fuit.

Pro responso; nîl aliud repono; quàm. Cùm unius rei multæ sint opiniones, & DEUS mundum disputationi tradiderit, desidésque illa habeantur animæ, quæ nihil nisì assensum præbere nôrunt; volui meam sententiam de rebus, ac morbis Moravicis exponere; hinc in examen breve suscepi Tartaro-Mastigem, cujus narrata an veritati respondeant, ponderavi; rationes, & causas rerum, sinè ulla invidia, ad lydium rationis, veræque Philosophiæ, & Medicinæ lapidem probavi; quæ laude digna judicavi, Authori pro honore, & labore

DE

in ſignibus p
& ſic Veritas
cata ad Lucis
renniter. H
miſsiſsimè p
inclyte, ac
SISSIME.

TUÆ
TUD

Brunæ è M
Anno 1670.
Borromeo

PA

PARS PRIMA.

IN PRÆFATIONEM AUTHORIS, AD LECTOREM.



Uantū laboris, in opusculum suum Tartaro-Mastigem, Author insumpserit; pluribus declarat idem in Præfatione ad Lectorem directâ. Verùm equi-m est, ut aliquid solidi, utilisque in lucem oferatur, conamen adhibere non mini-um expedit illi; qui cæpta cum laude fini-cogitat. Merebitur itaque insumpta ope-condignam laudem, si dictis veritas re-ondebit; ast metuo, ne in limite reddat utabundum Lectorem, minúsque de veri-te futurâ sperantem: dicit enim primò, ela-sum tunc annum, â quo ex studijs Italicis re-ux, Brunam appulisset; intereà autem tem-oris, tot cryptas, fodinas, sylvas, antra, mon-es, hortos, lacus, fontes, aquas, foramina,

 ædi-

c. cleros verf: Epiſcopatus diſt: 21. Et meritò in TVAM Celſitudinem hæc dignitas (ſic enim appellatur *c. quorum vices diſt: 68.*) vel ſi mavis cum *c. qui Epiſcopatum cauſ: 8. q. 1.* Bonum opus) conferri debuit; cùm enim Lux in ſublimi locata eſt, indéque in terras omnium profunditatum abyſſus illuminatura deſcendit. nec candela accenſa ſub modio ponitur, Matth: 5. TVA gentilitia Lux non illa tenuis, & rara, ſed in lapideam condenſata maſſam (dixerim Carbunculum) Luci Epiſcopali aſſocianda fuit, ut Lux Luci addita potentiores in ſibi ſubjectos emittat ſplendores : ſunt enim Epiſcopi *Succeſſores Apoſtolorum per c. in nova diſtin: 21. & c. quorum vices diſt: 68. c. Eccle-*

ſia

ſiæ diſtin:35. quos Chriſtus Lucem mundi appellavit *dicto c. Matthæi 5.* unde & illi Lux & Luminaria Eccleſiæ ſunt ex conſequenti, quia idem officium & munus exercent *dict: c. in nova diſtin: 21.*

Si Carbunculus (qui ex copioſiſsima condenſata Luce in primordiali naturæ ſulphure, ità mirabiliter cum aqueis & ſalinis principiantibus particulis mixto, hoſpitante coaluit) nocturnas fugat tenebras, per hoc pretio inæſtimabilis, Monarcharum vertices coronare meruit. Quidni & TVA Celſitudo in ſummo Moraviæ apice ad exornandum ſummi Dynaſtæ verticem collocanda fuit? ut ſcilicet, cum Lux è ſublimi in profundum deſcendat TVA multiplicata Lux,

profundissimas quasque animorum abyssus subintret, & illuminet.

Cum igitur tam copiosa cælestis, & terrestris, cum natalitia se Lux maritavit, quis non omnes animorum, scientiarumque tenebras, ad præsentiam tantæ Lucis persistere non posse ominabitur? Ità & Hæreses fugiunt, & fugatæ sunt, & præposteræ corriguntur opiniones, disciplina invehitur, nullibi vitijs, tenebrarum abyssis, locus aperitur, pellitur omne, quidquid vel in minimo tenebras adumbrat.

Quare libellus meus Tartaro innocuè flagellato clypeum porrigens, veritatem propugnans, & aliquid Lucis Gentilitiæ partici-

pans,

pans, idcirco in tenebris militare insvetus, ad TVÆ Celsitudinis tam gentilitiam, quàm Episcopalem, & Ducalem Lucem confugere voluit, inibi quàm submissisimè imploraturus tenebrarum discussores, errorúmque illuminatores radios. Neque id pace Celsitudinis Tuæ immeritò: Lux enim & Veritas assymbola, imò idem esse videntur, siquidem Lux, quæ omnem hominem illuminat Ioann: 10. etiam se Veritatem esse Ioannis 14. profitetur, adeoque Veritas illuminativa intellectus sinè Luce minimè subsistet. Controversiam suam, & litigia si licet per Authent: *habita C. ne filius pro Patre* scholaribus ad Episcopum etiam præ-

terito ordinario Iudice deferre, aut cuilibet in Iudicem ſibi eligere Epiſcopum ſit licitum *C. de Epiſcopali Audientia, l. Epiſcopale judicium*, quidni & controverſiàm litterarum, ubi de Veritate pugnatur non ſcholaribus, ſed Doctoribus Epiſcopo dicare licebit? Nulla ſanè melior ejusmodi dirimendæ aut ſopiendæ litis inſtantia invenibilis, quia *Epiſcoporum curæ eſt, Magiſtros & Doctores ſcientiarum c. de quibusdam diſt: 33. conſtituere: qui enim Superintendentes per c. qui Epiſcopatum cauſ. 8. q. 1.* nominantur, in omnem animorũ motum ſuperintendunt, omnia tanquam Dei oculus cernunt: ſunt enim illi ipſi *Oculus Dei di-*

ſtin:

ſtin: 6.c. qui oves, & eruditiſsimi habeantur *diſtin: 6.c. qui ex Ecleſiaſticis, item c. ſi quis.* Ejusmodi Iudicibus ſimile litterarum litigium erit præſentandum. Vnde ut temeritati meæ TVA Celſitudo veniam largiatur, humillimè rogo; Patronus enim alius libello meo quæri non debuit, quàm qui ſublimitate ſuperintendentiæ & ſplendoris, firmitate Lucis Carbunculari, Veritati â me propugnatæ aſſiſtere poſſit, eámque fugatis copioſiſsimâ Luce tenebris in libertatem vindicaret. TVIS ergo radijs libellus meus illuminatus CELSISSIME PRINCEPS vadet ſecurè per orbem univerſum, ſub tua ſpecula pugnabit feliciter, TVIS Epiſcopalibus & Ducalibus

insignibus protegetur stabiliter, & sic Veritas TUÆ Celsitudini dicata ad Lucis lapidem affigetur perenniter. Hoc ut eveniat, submississimè precor. Fave ergo Dux inclyte, ac PRINCEPS CELSISSIME.

TUÆ CELSITUDINIS

Brunæ è Musæo meo, Anno 1670. die S. Carolo Borromeo Sacra.

Devinctissimus

WENCESLAUS ARDENSBACH, de Ardensdorff, Philosophiæ & Med. Doctor.



PRÆFATIO
AD LECTOREM.




Uæres B. L. quid causæ habuerim, hoc scripto impugnandi Authorem, Tartaro-Mastigis; qui tamen in me nequaquam injurius fuit.

Pro responso; nîl aliud repono; quàm. Cùm unius rei multæ sint opiniones, & DEUS mundum disputationi tradiderit, desidésque illæ habeantur animæ, quæ nihil nisì assensum præbere nôrunt; volui meam sententiam de rebus, ac morbis Moravicis exponere; hinc in examen breve suscepi Tartaro-Mastigem, cujus narrata an veritati respondeant, ponderavi; rationes, & causas rerum, sinè ulla invidia, ad lydium rationis, veræque Philosophiæ, & Medicinæ lapidem probavi; quæ laude digna judicavi, Authori pro honore, & labore

labore reliqui; quæ verò cum fundamentis medicis minùs concordantia deprehendi; rationibus, & experientijs oppugnavi; campum, Authori sua defendendi relinquens, ut per contrà positionem argumentorum variorum, magis elucescat veritas, & obscuritate depositâ, lux & claritas oboriatur; inde Moravia, suos faciliùs cognitura morborum affectus, ijsdemque remedium inventura citiùs, & jucundiùs.


Vanam ergo me operam non insumpsisse B. L. judicabit; dùm causam allegatam ponderando, me nullâ maculâ sequioris affectus notatum deprehendet. Sic duellum litterarium sinè invidia, sivè rancore, in emolumentum patriæ, honestè potest, & licitè suscipi: sub quo titulo ego quoque descendo in arenam, clypeúmque oppono. Interea amicus Lector æquo judicio, animóqne propenso velitationi spero aderit, & favebit.

PARS



PARS PRIMA.

IN PRÆFATIONEM AUTHORIS, AD LECTOREM.



Uantũ laboris, in opusculum suum Tartaro-Mastigem, Author insumpserit; pluribus declarat idem in Præfatione ad Lectorem directâ. Verùm equidem est, ut aliquid solidi, utilisque in lucem proferatur, conamen adhibere non minimum expedit illi; qui cæpta cum laude finire cogitat. Merebitur itaque insumpta opera condignam laudem, si dictis veritas respondebit; ast metuo, ne in limite reddat nutabundum Lectorem, minúsque de veritate futurâ sperantem: dicit enim primò, elapsum tunc annum, à quo ex studijs Italicis redux, Brunam appulisset; intereà autem temporis, tot cryptas, fodinas, sylvas, antra, montes, hortos, lacus, fontes, aquas, foramina,

ædificia, perlustrâsse se scribit, ut qui illum eo potissimum tempore Brunæ viderunt, non possint sibi imaginari, tàm brevi temporis spatio, potuisse ab eo ista omnia videri, taceo perscrutari, & eorum naturam ad amussim observari. Verùm equidem est, potuisse per alium ejusmodi observationes, tempore prætcrito eóque longiori fieri, & sic jam pridem factas ab alio, nunc in medium proferri ab Authore; ast nomen tam diligentis perscrutatoris subticeri non debuit, nisi ob levitatem materiæ, nomen suum supprimi petijsset Communicator. Kyriteinensem cryptam Authorem non intrâsse, tùm probari potest; eandem tamen, quàm nervosè describit? In alijs, ut Platnensi, Ricensi, post editum suum libellum primùm fuisse, mihi compertum est. Itáne nobis quilibet narrabit non visa, ab alijs accepta scripta, per modum factæ à se observationis? Cesso perstringere; addat cætera B. L. Rependo ergo per illa antra subterranea, causas morborum Moravicorum invenisse se dicit; ast quales? calcem, & nitrum; his terra tota Moravica fœtebat; sed quomodo immemor Author suæ calcis, illius nè mentionem quidem in quinque morborum descriptionibus, facit? Placet videre? legenti in capitulis de morbis patebit. Videtur igitur observâsse calcem inter

cau-

causas morborum collocari non posse; aut meliora edoctus de industriâ præterijsse; nisi fortè, nomine Tartari Mucilaginosi, illam comprehendat, & tum Tartarus, & Calx erunt idem; sanè novum quid. Sed necdum nobis satis factum est; calcem enim, terræ Moravicæ immixtam, inconsiderati est asserere; amabò, quid est calx? Nonne capite de calce, eandem Lapidem adustum, ex cujus mixtione cum arena, cæmentum fiat, definis? Quomodo ergo nunc calcem, in solo Moravico quæris? Quis focus, aut ubi structus, aut quos lapides adussit? Quis genius in pollinem redegit? Quis per minima terræ miscuit? ità, ut quodvis vegetabile cum alimento suo attrahat? certè nullus historicus talem unquam fornacem in Moravia fuisse scribit; Ignem subterraneum tam vicinum ut lapides adurat in Moravia non sentimus, nec, si comburerentur, invenibilis esset genius, qui molâ, aut pistillo comminueret, & per totam terram disseminaret.

Calcem assignatam, terra Moravica non habet, etiam rusticorum testimonio; vanum igitur est, illam inter causas morborum allegare, cum non sit in rerum natura. Ast inquies, vinum, succi herbarum, aqua ipsa deponunt sedimentum albissimum, quod calx est. Fateor lubens, ast illud appellare calcem,

cui proprietates calcis non competunt, inconveniens est, veluti, omne nigrum, carbonem nominare.

Instabis, cuilibet notum est; illud sedimentum, calcem artificialem non esse; ast impropriè, cur sic appellari non possit? Cùm & ab alijs Medicis jam pridem factitatum legamus. Respondeo, si ergo illud sedimentum, sit per te calx impropriè, cur sequens caput de Calce propriè dictâ scripsisti, & per hoc unà cum Nitro causas morborum esse indigitâsti? Oportebat ergo, de calce impropriè dicta scribere; hanc in terræ visceribus invenire potuisti, non calcem propriè appellatam; igitur parùm ad rem caput de calce est positum, quàm nullus causam in parte secunda nominandorum morborum dixerit.

Vrgebis, licet illud sedimentum non sit Calx, sive Lapis combustus, erit tamen Lapis calcarius adhuc in atomis & polline existens. Respondeo primò, Si hoc verum esset, tum aquæ per arenam decurrentes potissimum tale sedimentum darent, ut & Vinum in tali solo crescens, ast contrarium fit: Nam aquæ similé fundum percurrentes nihil tale habent, nec Vina ex arenosis Vineis, solum limosa terra hoc modo aquam & vinum inficit. Secundò Lapis Calcarius per se à silice & arenà vix differens insalubris non est, Silicibus enim ad

Lactis

Lactis generationem utimur,& diuretici sunt.

Nitrum an possit esse morborum causa, capite de nitro tractabitur, deprehendemus autem illud esse saluberrimum. Si ergo nec calx, nec nitrum, quæ partes sunt Tartari Moravici, sint causæ morborum, consequenter nec Tartarus erit causa morborum. Quid ergo sperabimus de curâ morborum, ab illo, qui causas eorundem ignorat? Sed mitiùs paulò. Remedium adinvenit infallibile curandi Moravicos affectus, idque in ipso Tartaro volatilisato & nullibi alibi; prout ipse hic fatetur; ast in fine libri, duo remedia prophilactica, & curativa ex Antimonio & Auro docentur; ergo esse non potest, nullâ alibi Tartaro Moravico invenibilem medelam, vel illa duo remedia certum est, non curare morbos assignatos. Vana tamen cum sale Tartari volatilisato est opinio, quem an Author, an multi alij, volatilisare noverunt dubito, qui enim ascendit cum S. V. fortissimo Sal Tartari, non est alius quam fit, per se fixus, separat se per se ad latera vasis, & est tam fixus sicut fuit, quærunt, ut coctum, & præmansum quis offerat pulmentum, sed sperant in vanum: arcana sunt, arcâ concluduntur, nec cuilibet Corinthum adeundi facultas datur.

Zwelfer quidem modum Tartari volatilisandi posuit, sed Tackenius ante Zwelferū,

salis Tartari destructionem appellat; & revera nihil est aliud, quam aqua subtilis paucum in se salem Tartari continens, nullius virtutis, Polemannus scribit obscurè: nullus clarè volatilisandi docet modum. Si tamen hanc artem invenisse Authorem contigit, injurius est in patriam, si tam nobile medicamentum non præparat, aut curas præparari. Circulatum suum putatitium quod pro Sale Tartari, volatilisato habet, nec unicum morbum curabit Moraviæ.

Sed quid multis? Calx, & Nitrum non sunt causæ morborum, ut infrà demonstrabitur, non egebunt itaque ad sui ablationem Tartaro volatilisato. Quid autem illud album recrementum, quod vulgus, & Author (ast malè) calcem appellat? inferius demonstrabitur; nunc autem assumamus.

CAPUT I.
De Calce.
§. I.

CAlx omnibus nota, vix indiget nominis explicatione, proprietates ejusdem affert Author Tartaro Mastigis inquiens: *hæc actu frigida est, & in occulto potentiâ ferventem continet ignem, qui affusâ aquâ statim latens, in actum erumpit, & hoc miri ex naturâ suâ*

suâ habet, quòd postquàm etiam arserit, aquis incenditur, quibus ignis extingui solet, oleo verò extinguitur, quo ignis accendi consuevit.

Quàm hæc omnia naturæ repugnent; deprehendit is, qui ea penitiùs ruminabit; examinemus omnia. Calx *actu frigida dicitur*; quàm hoc veritati repugnet fatebuntur illi, qui soli expositam, aut aëri tepenti palpârunt; tum enim calida, vel tepens erat; frigidissimam verò rigente solo glacie quis non invenit? Ergo manente calcis substantia, mutabilis est frigiditas ipsius, tam bene enim actu calidam vocabis, si calidam deprehendes, ac frigidam dicis, dum frigidam palpas. Accidentaria est frigiditas calci; igitur abesse, & adesse potest; & alteratur â qualitate aëris ambientis, non autem proprietas est; ideo in descriptione omitti debuit secundùm bonos Logicos, quia accidentia non exprimunt naturæ essentiam, & communia sunt pluribus; non est verò calx actu frigida, nisi in aëre frigido.

An verò *in occulto potentiâ ferventem contineat ignem*, magna est inter Philosophos quæstio. Dicit enim Author *in occulto ferventem, potentiâ continet ignem, qui affusâ aquâ mox in actum erumpit*, hinc vel intelligit ignis particulas, ità esse occultatas, & ab ustione, in lapidem calcinatum, introductas,

 ut

ut per aquam, liberæ factæ, caloro, & incendio se prodant; vel intelligit, in calce virtualem (hoc enim Aristoteles per potentiam intelligit) latere ignem, qui dispositionibus introductis, realiter, sive in actum, exeat; utroque modo malè dicitur. Primò si ignis particulæ in calcinato lapide, absconditæ lateant; sequitur earundem qualitatem, id est calorem sentiri debere, quod tamen non advertitur; sequela probatur; ubicunque actu ignis est, ibi calor est, ast hic ignis est, ergo calor est: major est evidens, ipsâ teste experientiâ: minor asseritur ab Authore; consequentia est in forma.

Respondebis: est quidem ignis, sed per minima divulsus, varijsque particulis diversis immixtus, ideóque non sentitur, & qualitatem exercere impeditur. Contrà: si ignis sit tam minutè diffusus ab hoste, seu suo contrario, quod aqua est, facile superabitur; sic calce vivâ in aquam immersâ, ignis disunitus â tam potente hoste, unitis viribus oppugnante, suffocabitur; hinc qualitas ignis, id est, calor, minimè in aquam introduci poterit.

Virtus enim unita, fortior; disunita, debilior; sed experientia docet, aquam â calce calefieri; ideóque virtus calefactiva in calce, fortior est, quàm aquæ frigiditas.

Sequitur ergo, vel aliquid aliud, quàm ignem

ignem disperſum, & occultum eſſe in calce; vel ignem debillimum diſunitum, oppreſſum alijs particulis calcis, quàm ignem manifeſtum unitum, & liberum, plus operari, ſiquidem manifeſtus, & urens ab aqua extinguitur, prout in ſequenti experimento patebit; poſterius nemo aſſeret, & ſequens experientia evincet; ergo verum eſt prius, ergo mala eſt doctrina, occultum, in calce aſſerens ignem. Experientia eſt hæc, Accipe libras quatuor calcis vivæ, immerge in quindecim menſuras aquæ; demum recipe quoq; ſilicũ, unius vel plurium, potentiſſimè ignitorum, libras quatuor; proijce quoque in quindecim menſuras aquæ; tum ſenties aquam, in quam calx immerſa duplo calidiorem, quam illam, in quam ſilices injecti.

Jam ergo, ſi vera eſt ſententia, ignem eſſe in calce occultum, ideoque disgregatum, & divulſum, inde minori quantitate neceſſariò exiſtentem, quàm in ſilice ignito, quia aliàs candicaret, & ureret, ſi parem quantitatem nactus fuiſſet; ſequitur ignem ut unum, plùs operari, quàm ut octo: quod eſt contra omnes Philoſophos, rationem, & ſenſus: ergo ſtante experientiâ, mala eſt doctrina, ignem occultum in calce aſtruens; niſi velis, contra omnes ſenſus, admittere, ignem ut unum, plùs operari quàm ignem ut octo.

Et si vera esset hæc sententia, cur calx, postquam, ut vulgò dicitur, extincta est, si rursus candefiat, non tantopere aquam calefaciat, quàm antea, dum ad attactum frigida apparebat? Nunquid calx ignita, pluribus abundans ignis particulis, quàm calx viva, prout sensus evincit, minùs operabitur? Et tamen experientia superior id ostendit: igitur aliquid aliud, quàm ignis, est in calce, quod operationem hanc exhibet.

Imaginaria igitur est hæc opinio, quæ ignem occultum in calce viva edocet. Videndum nunc an potentiâ, id est virtualiter, ignis calci inesse possit: superior doctrina, magis veritati consona contraria veritati demonstrata est, multò magis hæc demonstrabitur. Nam si ignis actualis occultus non potest efficere aliquid, multò minùs efficiet is, qui necdùm existit, sed tantùm potest existere: ob hoc, in calce, quæ plus operatur, quàm ignis manifestus ut octo; ignis occultus, admitti non potuit salvâ ratione, & sensu; multò minus ignis, pro quo introducendo, priùs dispositiones fieri debent, admitti poterit: & cùm secundùm Aristotelem, ad introducendam formam ignis, dispositiones per calorem fieri debeant, quomodo nunc aqua frigida, igni contraria, dispositiones pro forma ignis, in calcem introducet? Si enim ignis potentia

tia in calce, in actum deduci debet, isque per aquam affusam, in actum deducitur, nonquid aqua formam ignis tum inducet? Hoc probatur; quia quod dat esse rei effectivè, hoc ex potentia deducit in actum, sed aqua calci affusa, dat esse igni in calce effectivè; ergo in actum deducit. Minor probatur: quia quod præter aquam igni suum esse in calce daret, nihil aliud assignat Author, quàm aquam.

Idem erit cum potentiali igne calci assignato; hunc enim aqua (quæ ignem actu existentem potens est extinguere) annihilabit citiùs, quàm in actum deducet; non est ergo potentialis, nec actualis in calce ignis, ergo nullus est.

Sed dices; cur ergo calx, affusâ fumat & calet aquâ? Hic Rhodus, hic saltus est, quem tamen sequenti Paragrapho transire conabor.

§. II.

Calcis incalescendæ modus exponitur.

VT autem cognoscatur quomodo illa Calcis per affusionem aquæ, fiat incalescentia, liberè sensum meum proponam. Fermentatio est, variarum inter se particularum, sibi invicem disproportionata-

rum commotio, tendens ad fines à Natura directos, cujus symbolum exprimunt duo contraria invicem mixta, quæ se aggrediuntur mutuò, & particulas sulphuris, in motum, & fluxum provocant, quæ glomeratæ & intensæ, calorem & aliquando incendium producunt; ità acidum affusum sali alcali fixo, aut volatili parit turbas, & calorem edit, prout videre est in affusione spiritûs Vitrioli, vel sulphuris super salem Tartari, aut salem Cornu-cervi; sic spiritus acidus, ferro superfusus, vas incalescere facit, emisso fumo sulphureo; pariter spiritus Nitri, affusus butyro Antimonij, calorem ingentem edit, & flammam ipsam, si incautè procedatur.

Tale quid nobis in Calce considerandum est; dum enim aqua superfunditur, mox salia in Calce, quorum unum acidum, alterum alcali, solvuntur, & ob contrarietatem se invicem adoriuntur; hinc particulæ sulphureæ à salinis segregatæ, fiunt sibi continuæ, & fluxum concipiunt; ob hoc lux hospitans in ijsdem conjungitur ad invicem; hinc calor, & aliquando flamma exurgit, non aliter ac ex eadem causa, in prædictis exemplis apparuit. Hanc sententiam mecum fovent Kergerus de Fermentatione, p. 366. 367. & Tackenius in Hippocrate Chymico p. 15. c. 3. & veritati non absona est, hæc sen-

sententia; quamvis *Zwelferus* p. m. 45. Apologiæ cont. Tacke: neque alcali salem ex calce educi asserat.

Nam salem alcali inesse testabuntur Chymici, qui calce vivâ, loco salis Tartari in aliquibus operationibus v. g. Spiritus armoniaci salsi seu urinosi distillando utuntur, acidum salem sensus deprehendit, qui & causticus cutim adurit, hoc autem solis acidis salibus est proprium, unde si spiritus vitrioli, sulphuris, salis, ad formam spissam concentrentur, tam fiunt urentes, ut solo fumo urant, linguæ admoti, tanquam ignis comburant.

Acidum autem istud, segregatum per particulas terreas, & sulphureas non miscetur per minima eidem, unde alcali operationes sibi competentes liberè exercet; pari modo acidum, suas producit, quamprimùm verò aqua in suos poros utrumque sal hospitio excipit, impatientiâ Societatis, se mutuo adoriuntur, detentæ aliàs per salia sulphuris particulæ, jam liberæ edunt calorem, & incendium, ad quæ â Creatore sunt ordinatæ.

Hæc est mea sententia, quam, si meliorem edoctus fuero, paratus sum mutare semper. Vnum addam, in illa pugna salium, tantam invicem fieri coadunationem, ut non solùm utriusque salis, verùm etiam sulphuris, & terræ particulæ sibi invicem potentissimè asso-

associentur; hinc glutinositas illa calcis, pro lapidibus conjungendis emergit. Sed audio aliquem murmurantem; Quæso, tu dixisti superius ignem potentialem minus efficacem esse, quàm ignem actualem, cùm tamen pulvis pyrius (in quo actualem ignem nemo dixerit) fortior sit igne, in silicibus vel ferro existente. Respondeo: negando paritatem exempli, ad dicta priora, de calce quidquam facere; quia in pulvere sulphur existens; igne, non aquâ in actum & flammam educitur; unde nec actualis, nec potentialis in sulphure minerali latet ignis; sed dum ignis admovetur, pabulum sibi proportionatum inveniens augmentatur, id est, novus ignis superadditur, prout infra explicabitur, ob dispositiones liberas instantaneas: Nam si quid heterogenei admisceatur, tardiùs fit augmentum, quod tam diu durat, quàm diu sulphureæ particulæ consumuntur, absumptis his, ignis extingui dicitur: quod apud veros Philosophos, est; lucem in illis particulis sulphureis intensam, ità rarefieri; ut ejusdem species, præ tenuitate sua, in tunica retina non possint recipi, & animæ communicari.

Non ergo potentialis, actuali plus operatur ignis, quamvis non negem flammam pulveris pyrij plùs, quàm ignem silicum, ferri, aut aliam flammam urere, propter impetum

á ni-

à nitro flammæ datum; partim ob copiosam, & condensatam, ac ob instantaneam accensionem sulphuris erumpentis in flammam; partim ob spiritus acidos, in flamma hospitantes, qui, dum à sulphure resolvuntur in auras, flammam penetrantes comitantur.

§. III.

Quid sit ignis.

NOn possum hâc occasione præterire à me videlicet mirari, quod Philosophi, ignem, Elementum adstruant: fundamentum tamen evidens, nullibi ostendentes. Moyses in scriptura sacra Cœlum, Terram, Aquam, Lucem, Solem, Lunam, Stellas, Animantia, Herbas, Arbores, Hominem, creata esse scribit, ignis verò creati nullibi meminit. Hinc productus & compositus mihi potiùs videtur, quàm simplex Elementaris creatura: nihil enim in hoc universo aliud quàm pars compositi sulphurea ardet, teste Chymicorum turbâ, & ità rerum analysis demonstrat. Lux à Deo creata, omnis motûs, & caloris principium, omnibus rebus insita, vitæ fomes, & origo activitatis incredibilis, agens perpetuo, & continuè, effluvia in spatium immensum, & indefinitum mittit, unde ubicunque impingit radius versus centrum reflexus, dupli-

ci vi reflectitur, & sic semper & semper. dum in statu suo naturali permanet, edit operationes (quas longum hic esset enarrare, & codex magnus requireretur) varias: si violenter cogatur in unum, condensatur ejus magna quantitas, in parvum locum, tùm carens subjecto sulphureo sinè calore lucet potentissimè, prout de Sole dicetur. Quod si verò in sulphureis particulis subjectetur, calor potentialis in actum erumpit, irritata, operationes sensibiles edit, quibus si particulæ aqueæ intermisceantur, in terminis caloris subsistit negotium; quod si verò sulphureæ particulæ superent aqueas, & in motum ab agente extrinseco vel intrinseco concitentur, carceris vinculis solvi cupiens, viscositate autem sulphureæ materiæ detentâ, tumultuatur, & scandescit in seipsam, per reflexiones, & refractiones varias, & innumeras quasi, intenditur, distendit continentem se materiam, donec eandem perrumpat, & tum fit flamma; ob tot autem reflexiones in motu continuo, per quem lux copiosa in parvum locum cogitur, incandescit ambiendo particulas, & eas convestit, quæ per actionem lucis pulsæ quaquâ versum diffunduntur, potissimum verò ob levitatem in superiora protrusæ; in quarum rarefactione, & in minutissimas atomos resolutione lux occupata, unà cum ijsdem, in altum rapitur:

quod

quod ansam dedit Philosophis aliquibus somniandi de sphæra ignis (quam plùs quàm abundanter in suo mundo subterraneo refutat Celeberrimus ac Doctissimus Kircherus) ad quam tanquam ad centrum ignis tenderet. Postquam verò in illa lucis scandescentia ad minimas atomos illæ resolvuntur, cessat lux (jam liberior non ampliùs tot reflexiones & motum in seipsam concitans) scandescere, quare locum nacta ampliorem, in illum per minima diffunditur, atque tantùm attenuatur, ut oculos fugiat, sicque perijsse, vulgò putatur.

Quod si verò sic scandescenti ac intensæ luci circa sulphureas atomos occupatæ, objiciatur denuo subjectum sulphureas continens particulas, mox taliter constituta, lux & ignis facta, suo calore intenso rarefacit corpus viscosum sulphuris: illo motu lux insita provocata, tumultuatur etiam, factisque reflexionibus innumeris scandescit in seipsam, & adjuta, citiùs suo se carcere liberat, & in minima resolvit: hinc lux scandescens, luci pariter affectæ, additur, & ignis augetur, totum mundum consumpturus, si totus sulphureâ constaret massâ. Quomodo autem scandescentia, sive tumultus, reflexiones, & refractiones ac in parvum locum compactio sicque concentratio fiant, libet rem clariùs explanare.

Ignem

Ignem in terra, quòd à principio mundi invenerint Adam, vel posteri, non meminit sacra scriptura; aut ullus historicus, neque credibile videtur: probabilissimum est, quòd ignem sibi produxerint homines, vel ex tritione duorum lignorum, stupâ & pice additis, aut sine his, vel quod frequentius, ex collisione duorum corporum, potissimùm silicis, & chalybis? vel quod rariùs, â sole ipso, per instrumenta aliqua. Primò modo ignem productum taliter, opinor. Dum invicem lignum cum ligno, motu forti teritur; quia copioso abundat pingui seu oleosâ aut sulphureâ humiditate; quam pix & stupa copiosiorem habent, lux in ijsdem hospitans illo motu irritata in vicinitate tumultuari, & moveri incipit claustra sua rarefacit, & resolvit, per motum autem externum ab alijs mixtis particulis liberantur, & sibi invicem fiunt vicinissimæ sulphureæ; unde lux in omnibus tumultuatur; actionem fortiorem edens, propter copiam, & in angustum compactionem vi tritionis, hinc lux liberari satagens, vires per innumeras reflexiones intendit, donec viscositatem illam perrumpat, & fiat visibilis; tum tandem sulphureas particulas convestiens, in ijsque in minima reducendis perpetuò scandescens; edit operationes ignis, facta ignis, & sic hoc modo ignis productus est.

Quando

Quando verò ex chalybe & silice; & alijs rebus duris simul collisis ignis scintilla excutitur, idem productionis est modus, nisi quòd dum per illam percussionem lux in sulphureis chalybeis (multum enim sulphuris habet, quod demonstratur, quando spiritus vitrioli affunditur, quód sulphureum odorem potenter spiret, & facillimè sulphur separari possit) ut & silicis (qui sulphure copioso scatet, & probatur, quia duo silices invicem allisi sæpiùs, odorem sulphureum edunt) particulis contenta, scandescit, mox calore suo concentrato candefactum chalybem liquat (prout scintilla ejusmodi, alba charta excepta, & per microsco-pium inspecta subtilissimam chalybis lamellulam variè intortam repræsentat) & unâ cum eodem per modum scintillæ cadit, quæ fomite excepta agit quidem in ejusdem sulphureas particulas, ast quia illas à salinis liberare, sicque in fluorem reducere non potest, sic solummodò candentem reddit fomitem, donec candelula sulphure copiosiori imbuta, scandescentem recipiat lucem; quæ mox in flammam reducit materiam, & ità ignis propagari potest addito pingui vel sulphureo, in immensum.

Tertio modo, si per vitra ustoria, ignis ex sole, in hunc mundum sit traductus, contigit id taliter. In apicem coni, & quasi in

punctum, coguntur innumeri solis radij; tot scilicet, quot in hæmisphærio saltem superficietenùs continentur solis atomi;(cùm enim perfectus circulus totus secundùm omnes sui partes hæmisphærij extrinsecas, vitro ejusmodi depingatur; necesse est, ut omnis particula externa in vitrum radiet) condensatur per hoc potentissimè lux; quæ si sulphureas incidat in particulas, operatur ut dictum antè, & sic ignem producit; quod si verò subjectum incapax, verbi gratia aërem invenerit, qui præ tenuitate hos unitos radios reflectere non possit, aut fortè tantùm imperceptibiliter; non potest lux in seipsam scandescere; quare nec calefacere, multo minus in flammam erumpere, quamvis pro aliquali saltem reflexiuncula, non sine effectu caloris absolute, sed non perceptibili existat. His tribus ferè modis ignis ab hominibus inventus est; hinc patet abundè, ignem quid mixtum esse, ex sulphureis particulis & luce condensata, quæ licet sit principium caloris, sensibilem illum non edit, nisi quantùm minùs & magis condensatur, & subjectum invenerit quod condensatam lucem in scandescentiam inducere possit: Cùm enim radius primus, secundus, tertius, & sic de reliquis plurimis, in atomos sulphureas impingit, ex his reflectitur, impingitque in alias, & sic indefinite, cum alijs radijs

radijs mirabili modo se contingit, unde locus nimium angustus cogit tumultuari lucem (non aliter, ac aër inclusus exitum quærens;) donec perrumpendo flammam procreet.

Ex his dictis patet, quare suprema aëris regio frigidissima: nam primò natura aëris (aliàs ætheris) est frigidissima prout Helmont experientijs plurimis demonstravit, in quem licet copiosissima solis lux incidat, tamen nullibi in conum aut per reflexiones incandescentiam deducitur; quare ad aërem calefaciendum impotens est, hinc æther juri suo relictus frigidissimus permanet, & quò altiùs quis ascenderit, eò frigus majus invenerit, tantum scilicet ut exurat, & enecet animal.

Qualitas enim frigidissima, Ætheri soli competit propriè. Ast terram, & in Æthere volantia sulphurea corpuscula attingens, patitur reflexiones varias, ob hoc scandesqere incipit, & quò plures reflexiones fiunt, major lucis scandescentia, & nos majorem experimur calorem, prout sole culminante evenit, & tunc angulos acutos cum perpendiculo facientes radij à terra in acutum reflexi, rursúsque à particulis sulphureis aut alijs reflexi, innumeri radij in parvula puncta sectionum coincidunt, & sic lux condensatur valde, violentiam à reflexionibus passa, extri-

care se volens intricatur magis (hinc apparet, quid sit lucis scandescentia) idcirco majores operationes edit; crederes multos milliones parvarum solis imaginum, in aëre contentas eundem calefacere; calor autem temperatur, ab aqueis nitrosisque particulis: quarè ab incendio, mundi machina vindicatur; si tamen alicubi absumantur ejusmodi corpuscula, emergit in aëre incendium, cujus species sunt trabes, Dracones volantes, & stellæ cadentes.

§. IV.

Solvuntur objectiones de Igne.

OBijcies: Sol est ignis, sed Deus creavit solem, ergo Deus creavit ignem. Major est R. P. Kircheri viri subtilissimi, & sapientissimi, & probatur: Radij solis calefaciunt, & incendunt, lapides & terram vix non igniunt, aërem ferventissimum reddunt, vitro concentrati metalla liquant, omnia inflammabilia accendunt, omnes proprietates ignis exercent, ergo sunt ignis. Fateor durum argumentum esse, quod me diu torsit, sed tamen ex sententia mea dimovere non potuit, sic enim Respondeo primò: distinguendo Majorem, sol est causaliter ignis, id est corpus, quod ignem in se continet, & evo-

evomit (sicut terra in suo gremio latentem ignem per Ætnam, & Vesuvium ac alios montes eructat) concedo, sol est ignis formaliter nego; nam licet corpus solis luce abundet, potest tamen in illo productus fuisse ignis, qui tamen sol non formaliter esset: prout in terra dictum: & tamen terram nullus ignem dixerit, ideoque non sequitur: Deus creavit solem, ergo & ignem, qui esset elementum. Quia ille ignis in sole, erit æquè compositum, ex sulphureis corpusculis, lucè intensâ, ac scandescente.

Respondeo secundò. Et sic sentio negando absolutè majorem; cum enim scriptura dicit, quòd Deus creaverit duo luminaria magna, ex his unum quod præesset diei sicq; solem, non sequitur ex hoc: solem esse ignem; cum lux sinè igne existere possit, ut patet in Luna. Ad probationem respondeo: solem in sè copiosissimam & quidem condensatam, habere lucem, corpus autem non habere particulas sulphureas combustibiles (datur enim sulphur, quod minimè est combustibile prout Philosophis adeptis notum) quare lux nullam scandescentiam concipere potest, sed ità pacificè per ætheris ingens spacium expansa in terras (modum enarrare longum esset) descendit, postquam in ætheris infimam regionem pervenisset, inve-

nit ibi variarum rerum utpote aquearum, terrearum salinarum, copiosarum sulphurearum, atomos: mox in illis corpusculis modicas reflexiones passa, scandescit parum, & aliqualem calorem producit, postquam verò terram attigit; tum magis ab illa reflexi radij in corpuscula supernatantia rursus impingunt, sic magis & magis refluctuntur, & per hoc majorem calorem producunt, maximè si copiosis aër pinguibus abundet corpusculis, tum enim insitam lucem in ijs commovendo, scandescentiam ejusdem procurant, quæ ob i nmixtionem alterius speciei atomorum, in flammam erumpere nequis in gradu caloris consistens plus vel minùs, pro diversitate reflexionis, intenso.

Quomodo lapides, & terra calefiant à sole, facilè quis ex dictis conijciet: nam aër jam calefactus facilè suum & terræ, & saxis communicabit calorem, ad quod facit radiorum solis in sulphureas terræ ac lapidum particulas actio, & inditæ lucis in scandescentiam provocatio. Quomodo per vitrum ustorium, solares radij ignem efficiant, dictum est suprà: licet ijdem non sint ignei.

Ex dictis patet: quamvis copiosâ & intensâ luce solare corpus sit circumdatum, cum tamen scandescentiam in eodem lux patiatur minimè, ob defectum sulphuris combu;

bustibilis; ideo extra aërem nobis vicinum, solis radij non sunt ignei, nec urunt, nec calefaciunt, experimento illorum, qui sub ipsa Canicula altissimos montes petierunt, & vix non frigore sunt enecati, qui etiam, quò altius ascenderunt, eò majus perpessi sunt frigus.

Potest ergo sol, non esse ignis, quamvis ex ipsius luce, particulis sulphureis, & per refractionem in scandescentiam deductæ lucis, possit fieri ignis.

Ast dices: Mathematici inveniunt in sole faculas (quas tanquam ex Vesuvio ejaculatos ignes dicunt) & maculas, quas pro fumis reputant, ergo saltem in corpore solis erit ignis concreatus.

Respondeo, apparere tantùm ejusmodi phænomena, sed â nullo taliter â parte rei existere demonstrata, faculæ possunt esse corpora magis concentratam habentia lucem, argumento Lunæ, cujus partes minùs ac magis sunt lucidæ. Maculæ verò possunt esse aliqua corpora inter humanum oculum & solem constituta, quæ siquidem naturâ opaca, neque â sole illuminari possunt (videre est typum in solis eclipsatione â Luna) maculam oculo nostro mentiuntur.

Objicies iterum: Deus creavit ignem centralem aut subterraneum, ergo Deus creavit ignem: nam; â seipso non extitit, ab alia

ulla creatura non est productus, & certum est, ipsâ experientiâ teste, eum existere, ergo â Deo creatus est. Respondeo distinguendo Antecedens: Deus creavit ignem ex subjectis existentibus, hoc est, produxit (scilicet postquam sulphureas materias in visceribus terræ creâsset, partémque lucis creatæ intra terram compegisset, factum est, ut ex vicinia horum duorum mox sit ortus ignis durans hucusque & duraturus) concedo: Deus creavit ignem ex nihilo subjecti, aut novam creaturam, præter lucem, & sulphur nego.

Et dato quòd dicta subjecta, post creationem mox conjunxerit Deus, sicque ignem produxerit, non sequitur tamen ignem creatum ut Elementum, quod â principio negabam, sed potiùs mixtum quid, quod affirmabam, & affirmo. Mirabitur quispiam, quid sit lucis excandescentia, aut quomodo illa per tot refractiones generari possit, sed si naturam reflexionum â Mathematicis didicisset, mirari desineret. Qui sunt Medici si Helmontianam Archæi (quem ego animam mundi, & hanc non nisi hanc ipsam lucem, quæ & ignis fieri potest esse judico, & si tempus pateretur facilè probare possem) scandescentiam intelligunt, ac penetrant sententiæ meæ dabunt manus. Reliquis abundè dictum puto, ità ut ex numero Elementorum

extir-

extirpandus veniat ignis, qui destructor & non compositor rerum, etiam in minima ejus particula deprehenditur, quod enim enunciatur de toto, id etiam de qualibet ejus parte; sed ignis sibi relictus, â nullo impeditus, totus est rerum destructor, ergo & ejus (vi dicti axiomatis) omnis particulæ, & si ità immixtis alijs rerum particulis, disuniatur, & immisceatur ignis, modò sit non nimia ab invicem particularum ignearum distantia, remissos edit effectus, compositi destructivos, quod si verò nimium attenuentur, aut valde dissipentur, aut copiâ aliarum obruantur igneæ atomi, tunc perit ignis, cessante scilicet lucis scandescentiâ. Vnde neque compositum ingredi, neque Elementum ignis esse potest.

§. V.

Examinatur ulterius præsens Caput.

SEd satis de Igne dictum est: nunc ad medicamenta, quæ in usum communem ex Calce parari docentur, me converto. Quæ, cùm varijs observationibus, illustrari debuissent, factum tamen ab Authore non est, unde an omnia probata sint valde dubito.

Sic spiritus calcis vivæ (quem neutiquam calculum, & Podagram curare Thakenius

nius afferit p. m. 25. 26. Hippocrat: Chim:) eandem cenſuram cum febrifugo nobili incurrit, quod cum nihil ſpeciale præ lapide prunellæ habeat, virtutes æmulabitur ejusdem: nam nitrum adjunctum Calci vivæ, una cum ſale, ejusdem vi ſpiritus in ſulphure Calcis latentis figitur & quod necdum fixum eſt, per additionem ſpiritûs ſulphuris figitur, tandem non aliter; ac dum Nitro liquefacto particulæ ſulphuris injiciuntur, illud ab ejusdem ſpiritu fixatur, fitque ſal acido alkali. Trita ſunt iſta omnia, & nota prout & reliqua, ibi ſubnexa medicamenta, quare operæ pretium non eſt plura de illis loqui.

APPENDIX.

Quid ſit illud, quod vulgus Calcem in vino, aqua, & alijs rebus appellat.

SEdimentum hoc non eſſe Calcem, ſi quidem abundè demonſtratum, neque Calx impropriè dici queat: ſic enim omne album Calcis nomine appellari poſſet, quod ſicut abſurdiſſimum eſt omnium, ità minimè dicendùm, quia nomina ſua ſunt rebus impoſita, & ſi quando nomen deficit, ab alijs, quæ convenientiam aliqualem in proprietatibus habent mutuamus.

Ejus-

Ejusmodi autem quid, ſedimentum Moravicum, cum Calce commune non habet, ideo Calcis nomen ei nequaquam convenit, de illo igitur tanquam cauſa morborum Authori Tartaro Maſtigis ſcribendum erat, non de Calce, quæ arte factum eſt, & nullum ex morbis Moravicis unquam generavit, nec poteſt, nec poterit. Idcirco quid illud ſit declarandum aſſumpſi.

Dico igitur ſedimentum hoc terram eſſe albam argilloſam, ſeu limum ſui generis, & ne ſinè ratione, & experientia aſſeruiſſe videar, rationem hanc in promptu habeo, quòd Moravia abundet pingui, & alba terra, hæc ob miſcelam Nitri, ſalis communis, fors armoniaci Veterum, aluminis & ſulphuris ſubtiliſſimi evadit viſcoſiſſima, ità, ut, ſi aquæ miſceatur, tam pertinaciter ipſius poris inhæret, ut difficillimè, ac vix, niſi per diſtillationem totaliter ſeparari valeat, ſcilicet tenuiſſima, quia craſſa tractu temporis ſubſidet.

Talem terram percurrunt plerique fluvij, & in ejuſmodi terra puteos ferè omnes inveneris, quare licet craſſiſſimum ſeparetur ſedimentum, ſubtilius tamen pertinaciſſimè inhæret poris aquæ, quæ cadens in alimentum mediatum hominis per vegetabilia, & animalia, digeſtioni ventriculi reſiſtens, in eo turbas concitat, chylum corrumpit, aut unâ

cum

cum Chylo in ſanguinem & partes corporis invehitur, variorum morborum cauſa exiſtit, præcipuè tamen Colicæ, quæ in Moravia ſingularis eſt, conſtans ſcilicet tenaciſſimo acido mixto bili phlegmate. Renum veſicæ articulorum aut corrumpitur per hoc alimentum, aut jam corruptum, ijsdem advenit, hinc Calculus & Artritis originem habent.

Vina Moravica, quæ in ſabuloſa creſcunt terra nunquam ſedimentum ejusmodi deponunt, quare citò matureſcunt, & citò deſinunt, maturo tamen tempore bibita æquè ſalubria ſunt, ac aliqua in mundo. Quòd de alijs quæ in limoſa creſcunt terra, ſive hæc alba, ſive rubra, ſive nigra fuerit, dici non poteſt, ſive vina in Vngaria, Auſtria, aut Germania ſuperiore creverint, nisi debito tempore defæcentur, tum quidem minùs n[illegible]iva ſunt, non tamen æquè ſalubria, ac quæ in arena vel petra creverunt.

Et ſuffragatur huic ſententiæ ex vinis ejusmodi Moravicis collectus Tartarus, qui acidi ſalis parùm exhibet, terræ verò plurimum.

Vt autem ſtabilirem ſententiam meam doctrinâ aliqua, accepi multas libras ſedimenti albi, ex lebete cupreo, in quo per multos annos non expurgato, aqua pro uſibus culinarijs cocta fuit, & intra illud tempus aqua

illa,

illa, quæ tamen hic Brunæ pro optima habetur, sedimentum copiosissimum deposuit, distillavi per retortam fortissimo igne, & accepi copiosum phlegma coloris subflavi, odoris potentissimè urinosi, saporis quidem insipidi, ast aliquantum acris. Caput mortuum, sive remanentia, fortiori igne calcinata, & in aqua cocta post evaporationem copiosum Nitrum exhibuit, cui quid salinum adjunctum erat, differens tamen â sale communi, probabile videtur esse sal Armoniacus antiquorum, qui de facto nullibi reperibilis, aut in usu est.

Alterâ vice excoxi in lebete cupreo, plùs quàm unam urnam aquæ ex puteo quodam, residentia in fundo, vix unius unciæ tota fuit limosa luteo colore, latera lebetis albissimè tincta quasi cretâ quadam, quæ saporem valde acrem in lingua dabat, ita ut & ipsum cuprum arroserit, variabat in aliquibus locis color citrinus, & subflavus præter viridem, qui ex cupro fuit extractus argumentum exhibens miscelam alicujus sulphuris crudi, & subtilis hic adesse.

Ex his duabus observationibus colligere licet in aquis Moravicis maximè Brunensibus limosam terram Nitro, & sale aliquo acri, etiam alicubi caustico, & sulphure immaturo imprægnatam inveniri. Vnde & vegetabilia

bilia omnia prout & ipsa vitis cùm ejusmodi aquam, in alimentum assumere necesse habent, inficiuntur totâ substantiâ & eorum fructibus talibus mineralibus, inter quæ & subtilissima argilla invenitur, quia eam prædicta salia potentissimè inter se univerunt, prout apparebit, si quis ejusmodi terrâ argillosâ etiam aquam distillatam inficiat, non separaturum ampliùs ab illa aquâ hunc limum, nisi per distillationem ipsâ teste experientiâ. Cum autem non vaporibus sed liquore ipso vegetabilia nutriantur, & in ejusmodi liquore mixtura antè dicta contineatur, evenit ut radix in alimentum sugat, & tanquam sibi improportionatum non immutet, sicque spiritus insitus vegetabilis hospitari in suis membris, cùm ad expellendum sit impotens, permittere cogitur; hinc accidit ut salubre cum insalubri commixtum minus faciat salubre alimentum animalibus, potissimum vero homini.

Hæc de sedimento, per vulgus & Authorem Tartaro-Mastigis calce nuncupato dicenda occurrerunt, non enim tempus, & occasio mihi fuit ad intimiora penetrandi, neque mei muneris est tantam de hujus natura habere solicitudinem, cùm alij sint, qui ærario publico aluntur, ut patriæ bono prospiciant, hinc ergo ipsis palmam præripere nolui, si

mihi

mihi quandoque hæc sparta contigerit, ostendam publicè, quòd mihi salus Patriæ majori sit curæ, quàm illis, qui multa ex alienis libris corradunt, ut bono publico servire videantur, interea verò summè necessaria negligunt, tamen magni videri volunt.

CAPUT II.

De Nitro.

§. I.

Quomodo alijs nominibus id appelletur; &, an varijs in locis, effodiatur in Moravia, impertinens declaratu, judicavi. Cibum & potum Nitri particulis refertum esse quid nocet? Nitrum enim omnium salium radix, tam in aëre, quàm aquis habitat, sinè quo terra sterilis, & inanis existeret.

Est omnium rerum Pater, sinè quo nullum vegetabile, animale, aut minerale, potest existere, aut crescere; subjectum omnis admirabilitatis; ex quo omnia suum incrementum sumunt, & in quod levi pragmaticâ reduci possunt. In Nitro est vis vitæ, Mercurius Catholicus, clavis ad aurum, & cætera metalla reseranda. Quomodo ergo insalubre erit Nitrum; cùm, quô magis abundet

 illo

illo terra, eò magis fit fœcundior? Fiat experientia cum terra sterili & fertili, & invenietur, quàm multùm hæc, quàm parum illa aut nihil habeat de Nitro.

Si ergo Nitrum insalubre, & causa morborum est, tum certè & fœcunditas Soli, quam Nitrum in requisita quantitate producit. Beati ergo agri steriles, quia sanissimas fruges secundum mentem Authoris producunt. Ast audio aliquem susurrantem: Nitrum non est insalubre per se, sed tantùm ejusdem copia, quia igitur, eodem Moravia superabundat; hinc non sana producit alimenta. Respondeo: si Nitrum in tanta copia inest terræ Moravicæ; tum illa inepta esset ad fructus ferendos: nam ad omnes operationes certa requiritur mensura, & temperamentum; si illud invertatur, effectus intentus non sequitur; unde si terra Moravica superfluentem haberet Nitri copiam, idem fieret cum illa, quod in cumulis terreis, ex quibus Nitrum solet elixiviari; prodiret scilicet vix gramen, taceo fruges, quarum semen susceptum copia salsedinis corrumperetur. Si tamen aliqui ex ejusmodi terra ederentur fructus, essent certè medicamenta alimentosa, quæ, si copiosè sumerentur, nocere possent, non Nitri causa, sed copiæ ingestæ.

Male igitur asseritur: Nitrum esse causam

mor-

morborum, prout in parte secunda fusiùs probabitur. An verò ex Nitro oriantur grandines, illudque sit principium coagulationis, oportebat per experientiam probare, quàm facilè enim asseritur, tam facilè negatur. Quàm verò Author insufficienter productionem grandinis ostenderit, patet inde; quia grandinem descripsit, *guttas ex nube resoluta, antequam ad terram perveniant, frigore per antiperistasin intenso, tam in infima quàm media regione, ex Nitri virtute glaciatas.*

Ah quantum chaos hic dicitur! grando plùs quàm chymera resultat ex hisce dictis: nubes, quæ nihil aliud est Philosophorum omnium sensu, & experientia, quam vapores aquei puri, vel siccis mixti, (videre hoc licet apud furnos Chymicos in dies) vi caloris attenuati, & in sublime elati, quomodo illa in guttas resolvetur? Potestne tenuè per resolutionem fieri crassum? Puto quod nullus tantus erit idiota, qui id præsumet asserere, quod enim resolvitur, dividitur ab invicem, quare in minima dissipatur, hinc fit tenuius & rarius. Quomodo ergo grando, quæ corpus est crassum, & condensatum ex tali modo divulsâ nube, produceretur? Si rectè dicere voluisset Author, nubem in guttas coagulari verbo alteri contrario, ac saniori, rem explicare debuisset.

Quid autem Nitri frigus cum imaginaria antiperistasi hic allegatur? Habetne Nitrum vim glaciandi? Nitrum secundum Philosophos & Medicos, vim resolvendi nactum est; ideoque ad obstructiones reserandas adhibetur, ergone jam grandinem in Megacosmo glaciabit? Assertum tuum, nudum dictum est; nisi experientiam apposueris, non credetur tibi.

Solent Agyrtæ, scutellas in æstate vel hyeme agglatiare tabularis, ast qui artem callent, non Nitro virtutes adscribet, sed alijs adjunctis, & cur non omnis pluvia vertitur in grandinem; cùm, quæ in Martio vel cum tonitru decidit, copiosiori, teste experientiâ, abundet Nitro, quàm grando? Applica manus ad carbones, fac experientiam, videbis & convinceris. Neque hic frigus opponas velim, quia Martio majora sunt frigora, quàm Iulio & Augusto; & tamen grando non decidit, & cur hyeme non cadit grando, quæ ad sui productionem majori frigore indiget, quàm nix? Vides quomodo cum frigore & Nitro in grandinis generatione subsistas.

Productio grandinis altiorem sapit Philosophiam: Si antiperistasin obijcies, hæc frigoris & caloris lucta, nihil operari poterit, nisi contrarium per experientiam demonstrabis. Quia cùm unum destruat, quod ab altero

tero fit, motus erit, sed nunquam ad finem deducitur; fiat proba cum re quacunque, & videbitur veritas. Vlterius progrediendo, video malè probari Moraviam Nitro refertam, ideo; quia copiosas experitur grandines, Si Styriam, Tyrolim, Helvetiam, consulas, copiosiorem ibi grandinem reperies, quam tamen Nitro præ Moravia abundare magis, non asseres; ecce quantum chaos in grandine positum est.

Operæ quidem pretium esset, grandinis productionem apponere, sed puto me meum institutum transgredi.

§. II.

Exponitur generatio grandinis.

NE tamen alium modum nascentis grandinis ignorare videar, addo meam sententiam cuilibet assensum, vel dissensum liberum relinquendo. Mensibus quibus Sol Borealia percurrit signa, evenit, ut idem stellis fixis majoribus, diametraliter supponatur, aut opponatur, quorum radijs (sunt etenim alij veluti soles non minores in loco solis, quàm sol in terra nostra apparentes, soli magnitudine pares, si non majores, prout ex R. P. Kircheri cœlesti extatico elucet itinere) ingens lux in solare corpus evibratur, quæ fa-

cit solem: copiosiorem quàm aliàs, in terram diffundere lucem; quare illis temporibus, major in terra sentitur calor, vi reflexionum & lucis scandescentiæ prout suprà capite de Calce dictum abundè. Aër (quem machina Madeburgica & Boyliana experimenta, ac R. P Schott S. J. non nisi effluvia corporum sublunarium in æthere natantium esse demonstrant) cum plurimis constet vaporibus, aqueis, terreis, salinis, dum calore intenso sursum magis ac magis pelluntur, ob motum âb calore in ijsdem corpusculis (prout in atomis ad radios solis in obscuro cubiculo videre est) concitatum, elevantur autem magis & magis, donec extra caloris activitatem perveniant, ad regionem ætheris, â calore liberam, naturâ suâ frigidissimam; mox illo intenso loci frigore (si enim adhuc aliquid caloris sit ætheri immixtum isque ideo sit tepidus, pluvia generatur, quo loco etiam in hyeme nives concrescunt aëre tunc non tam intensè frigido, prout altior ejus pars existit, ubi grando generatur) glaciantur, & constringuntur aqueæ particulæ, quatum multæ unam constituunt grandinem, jam majorem, jam minorem; quæ naturali suo pondere vel sola, vel cum pluvia, loco inferiori enata, plerumque ob Impetum venti, illam protrudentem cum ingenti impetu in

in terram decidit. Probabilem hanc esse sententiam, frigus in suprema regione aëris, evincit, quod frigus cum corpusculis in æthere natantibus assignari ob incapacitatem non valeat, Ætheris (qui in Genesis capite primo, per cælum intelligitur, & est spatium à terra usque ad cœlum Empyreum extensum) naturæ meritò adjudicatur.

Hinc ubi lux copiosa ingredi, & innumerabiliter refringi, sicque scandescere & per hoc calorem producere nequit, Æther frigidus, magis ac minùs pro diversitate mixturæ caloris, in se producti, remanet, quare cellaria, antra, & loca à sole non illuminata frigidiuscula sunt, quia pauci aut nulli solis radij illuc perveniunt; unde si aër tepefactus ingredi loca subterranea non potest; in ijsdem contentus frigidissimus est, ob ætheris activitatem, nisi vaporibus subterraneis temperetur.

Sic, quò altiores quis montes ascenderit, majus etiam frigus reperiet, tantùm in aliquibus, ut momento congelari possit, quia æther propè terram solummodo calidus est, ob innumeras illas lucis reflexiones, quæ nimium in altum ascendere prohibentur, ideoque parum vel nihil lux ibi scandescit; hinc parvus aut nullus calor, quò verò scandescentia, lucis non pertingit, ibi naturaliter qualificatus existit æther; unde frigus ingens. Ex

Ex hac ratione, hyemis frigus ſævit; quia ætherem paucitas radiorum ſolis, & exigua eorundem, & rarior refractio propter nimis obliquam incidentiam, calore temperat; quare is naturalem ſuam qualitatem liberè exercet, adhuc autem ob aliqualem ſcandeſcentiam non eſt tàm frigidus apud nos, ſicut in ſe ipſo eſt.

Expertus eſt Helmont per varias probas aërem eſſe frigidum, quod de æthere enuntiâſſet ſi ipſi cognita fuiſſet per machinam Madeburgicam aëris natura, nimium evagatus ſum; jam ad rem.

§. III.

Nitri natura examinatur.

Nitri definitio, quam parum ejusdem naturam explicet, patet ex ſequentibus. Vocatur ab Authore *corpus, maximè igneum, & aëreum*, aſt aëreum corpus Nitrum eſſe non poteſt, ſiquidem aër non niſi eſt congeries effluviorum emanantium ex corporibus ſublunaribus diverſiſſimæ mixturæ, natantium in æthere, ſive ſpatio, quod omnia implet, & extenditur, â centro terræ, ad ſedem uſque Beatorum; prout de aëre, experimenta Boyliana, commentaria P. Schotti, nos edocent; nihil ergo in Nitro ex ejusmodi corpuſculis heterogenijs invenibile,

bile; cum illud ex principijs rerum non compositis aliarum specierum sit effectum.

Notari velim; hic ætherem pro aëre, sic dicto, sumi non posse; ideoque de nomine non esse quæstionem: aër enim subtilissimarum atomorum variæ speciei certum ætheris spatium implentium, nosque mole suâ prementium, & respirare cogentium, est quasi infinita congeries; quo, ad vitam sustentandam, necesse habemus; non tamen elementum est, quia ex heterogeneis aggregatus, prout experientiæ, supra dictæ demonstrant evidenter. Æther autem spatium est, & locus omnium rerum existentium, in quo stellæ manent, & omnia corpora; neque is elementum est; quia natura elementi, multis ex causis, ob brevitatem temporis, hic præteritis, eidem non competit.

Nitrum an sit igneum? Ego dubito; judicant omnes: vident enim, in pulvere pyrio, abire in flammam operationis potentis; sed sine sulphure, quod etiam est pars, nunquam ardebit Nitrum, Hinc dubium mihi exoritur, an revera Nitrum vertatur in flammam, vel solum sulphur, Nitri particulis sub larva flammæ occultatis, atque ob copiosissimarum particularum subitam & simultaneam evolutionem, facientibus impetum quàm maximum. Ratio dubitandi; quia

igni

igni luculento admotum Nitrum minimè incenditur: super lamina candente fluit ut cera, parte volatili vaporatâ, remanet fixa; si in crucibulum etiam multæ libræ ponantur Nitri, igneque admoto candeant; fluit Nitrum, & bullit, ac instar liquati candet metalli, imò licet anno integro hoc modo liquaretur, nunquam tamen incenderetur.

Ratio in promptu est: quia non est pingue, & inflammabile; sed injiciatur aliqua carbonis particula (habet enim omnis carbo sulphur quod ardet, fixioris tamen ob miscellam salis fixi naturæ) vel sulphuris communis, (quod tamen cum mox solvatur tam claram non exhibet experientiam) mox flamma luculentissima aderit, cum strepitu emergens, quæ corpore carbonis & loco terminatur, dum Nitrum circumquaque diffusum, & candens ne minimam emittit flammam, cessat flamma carbone consumpto, aut sulphure, quem Nitri spiritus fugiens ignem in forma fuliginis dissolvit.

Hinc si carbonum injectio continuetur, sulphur ob spiritum Nitri illud ab immixtis particulis liberantem, in flammam accenditur, idque tam diu, donec spiritus ille, aut fixus, aut consumptus sit, tunc carbo ignescit equidem, ast manet integer, nec flammam ullam edit. Hinc venit notandum, licet totum corpus Nitri fluat ut aqua, & summè

mè candeat, non accenditur tamen, neque per flammam admotam, neque per sulphur aut carbonem injectum, secus fit omnibus inflammabilibus, ut pinguibus, oleosis, sulphoreis, ex toto, vel ex parte; quæ per ignem admotum incenduntur, vel saltem candefiunt; & sic in cineres rediguntur; quorum nullum, in Nitro candente, fieri videre est; ergo inflammabile minimè esse potest; quod verò, injecto carbone & sulphure, erumpat flamma, ratio est sulphuris, quod in carbone per spiritum Nitri, particulis salinis & terreis liberatum, sibique vicinissimum factum, fluorem concipit, sicque fit flamma: si vero sulphur disjunctum alijs misceatur principijs, tardius illud consumitur, & tum solummodo corpus candet. Solent etiam candere corpora, quæ nullum in se sulphur habent; ast tum carbonum, vel aliorum inflammabilium in poris ignem recondunt: hoc evenit lapidibus, terris, metallis (in quibus sulphur valde ligatum est) ferè omnibus salibus quoque, è quorum censu, Nitrum est nullatenus inflammabile, prout per experientias antè dictas probatum; sed potius in igne constantissimum.

Objicies: pulvere pyrio incenso, potentissima eijcitur flamma, major ex uno lotone, quàm ex una libra sulphuris, ergo Nitrum in flammam vertitur. Respondeo: flam-

flammam non fieri majorem, quàm sulphuris quantitas adjuncta, dare potest; quòd verò tam impetuosè vadat, facit particularum acidarum (quarum in Nitro magna copia est) cum sale Alkali rarissimè & leniter unitarum, subita evolutio, quæ flammam sulphuris tumidam efficit, & proijcit in longinquum, unde majus aëris spatium, mixta fumo flamma occupat, quæ sinè ulla disjectione ex sulphure etiam simultaneè flagrante, tam procul se extendere nequit, exemplo flammæ inquietæ & à vento pulsæ, vel expansæ in longinquum, hic tamen minimè flagrat Nitrum, quamvis in minimas dissipatum particulas, ob subtilitatem atomorum, fiat tandem invisibile.

Ratio tanti impetus, est subitanea, particularum Nitri expulsio, quæ evolutæ (videntur enim spiraliter, prout aëris in Boyliana machina atomi convolutæ) locum in aëre quærunt majorem, hinc aërem diffringunt cum strepitu, impotentem tam subitò cedere, & unà secum, ad ambientem aërem, flammam quaqueversum protrudunt; &, siquid durius evolutioni subitaneæ opponitur, in longinquum potentissimè eijciunt, velut in pilis ferreis, plumbeis, saxeis, & ejusmodi rebus, per bombardas ejaculatis, videre est. Quid autem pellat illas Nitri particulas, si quærit aliquis; ignem in promptu esse dico; qui rarefaciendo corpus Nitri, cogit copiosissi-

ſiſſimas Nitri particulas volatiles, propter exiguam cum fixis cohærentiam unà vice ſimul migrare. Quod autem ſolum ſulphur in pulvere accendatur, evincit hæc experientia: accende aliquot grana pulveris, in vaſe clauſo, ſuperpoſito alembico, cape fumum, invenies., ſi partem poſt partem, unius libræ pulveris ſic deflagres, ſpiritum Nitri acidum in receptaculo cum floribus & alijs admixtis, in fundo autem vaſis, caput mortuum, griſei coloris, in quo ſalem Nitri fixum cum ſale carbonum & ſulphuris, argumentum evidens, quod Nitrum combuſtum non ſit, ſed ſolummodo ab invicem, occaſione flammæ divulſum.

Qui credere detrectat, is conſulat experientiam. Manet ergo in concuſſum, Nitrum non eſſe inflammabile, aut igneum, ſed ſolummodo ignibile, prout & alia, incombuſtibilia ſubjecta. Si ulterius experiri quis velit, is miſceat ſcrupulum unum carbonum tritorum, cum uncia ſemis pulveriſati Nitri, de qua mixtura in crucibulum ignitum, partem poſt partem, inijciat; videbit exoriri magnam flammam, quâ ceſſante, invenies in crucibulo, Nitrum ferè fixatum de pondere priori. valde parum amiſiſſe; ſi igitur inflammabile eſſet Nitrum, totum ferè conflagrâſſet, relicto carbone nigro, quod omnibus inflam-

flammabilibus evenire solet. Quid multis? Qui lapidem prunellæ unquam conficere vidit, animadvertit, etiam injecto accenso sulphure, Nitrum non inflammari.

Salem crepidantem, alumen, fæcesque alias, impurgatum habere Nitrum, sciunt coctores, an autem illæ fæces sint aquositas, cum pinguedine terræ mixta, facilè est persvadere ignorantibus; At veris Philosophis, probare oportet. Nisi essem nimius, excuterem utique assertum inane & falsum. De qualitatibus Nitri, assignatis non disputo; ast nego frigidius actu esse glacie; & provoco ad experientiam, quæ contactum ejusdem manu, aut sensibili quacunque corporis membranula, glacie frigidiorem, nunquam deprehendit. Sed repones, mixtum aquæ tanquam glacies, imposito liquori, frigus communicat; Respondeo multò minorem esse frigiditatem illam; quia cum per se talem frigiditatem non habeat, dare alteri non potest, secundò, continet aquam, ut diu maneat frigida: quia caloris, in illam operationem retardat; ast in tepidam aquam, Nitrum injectum, nunquam eandem frigefaciet, quod tamen facit glacies. Vnicâ hâc experientiâ, pro frigore Nitri, allatas rationes confundo, longiùs immorari nolens. Mordet quidem linguam magis glacie; ast non frigefacit;

mor-

mortificatio salibus propria, Nitri spiritui vel maximè. Hunc Author Tartaro-Mastigis igneum dicit, ast igni contrarium docet experientia, quando luculento affusus eundem extinguit; pulvis pyrius, ut & sulphur, eodem perfusa, flammam concipere non possunt.

Vires Nitri, in omnibus libris medicis invenibiles, gratis hic repetuntur; teritur tempus, chartæ inaniter ejusmodi descriptionibus implentur. Ast rariora nobis proferuntur; puta, aqua Regis Ferdinandi; nihil tamen singulare, in illa invenibile; quia vapores aquei per poros vesicæ transudantes, Nitrum solvunt eo modo, quo aqua distillata; hanc solutionem, siquis distillaverit, accipiet aquam, ab alia distillata, simplici scilicet non dissimilem, Nitri virtutibus minimè gravidam, quiá in fundo distillatorij vasis, reperitur totum: salia enim non ascendunt, neq; spiritum, tam parvo igne fundunt; sicut omnes Chymici testabuntur.

Pulveris Alexiterij non sunt usuales, quia non in omnibus prostant pharmacopolijs, vidi illos in manuscripto Domini Deutschman Pharmocopæi Brunensis, ante multos annos, in Styria, Græcij, ab eodem inscriptos, an tales virtutes habeant, experientia consulenda. Alexiteriam virtutem, si tamen possi-

dent,

dent, non à Nitro solo, quod uncijs quatuor & media, ab alijs ingredientibus superatur, sed potius à tota mixtura promanat. Pillulæ ad capitis dolorem, ut & arcanum Wirzij Authoribus suis laudem dabunt; si veritas dictis respondeat.

Thermas artificiales Badensibus non modo non æquales virtute, sed multò inferiores, imò inutiles, si non noxias, hoc capite appositas dico: Calx enim admixta, gaudens valde caustico sale, quid in hac mixtura faciat, non video; cùm in Badensibus, & alijs thermis, nulla sit calx invenibilis; malè enim sedimentum album, Calcis nomine indigitatur; cum proprietates, eidem non competant: lapides enim calcarij in terræ gremio in Calcem combusti, nullatenus reperiuntur; vel assignandum, ubi, & quomodo.

CAPUT III.
De Vitriolo.

Vitriolum, spiritu sulphuris, aquâ, & Veneris vel Martis minerâ, corpus concretum, hic dicitur, & quidem non malè, modò spiritum esurinum sulphuri proprium esse, dictum non fuisset. Nam sulphur, nullum proprium habet spiritum, qui non sit communis alijs mineralibus: Est enim

in

in visceribus terræ, vapor salis acidi, omnium rerum Pater: Spiritus mundi, potissimam, in eo sedem constituit; qui cùm variis mixtus, variè particulis, sapores omnes in scenam ducit, hic dulcis est; ibi amarus; alibi acerbus, iterum austerus, salsus, ponticus, adstringens, & omnis generis saporum: quod in vite potissimum elucescit; cujus botri maturi, dulcissimi fiunt; qui crudi, & immaturi acerbissimum amarum, acidum sapiebant; spiritu illo esurino, sub his saporibus fallente linguam; quæ dulcedo in acidum rursus degenerat; prout in aceto videtur: & aciditas, rursus per artem chymicam dulcescere potest.

Nullum etiam est invenibile subjectum, tam animale, quàm vegetabile, ut & minerale (etiam de metallis igne excoctis, prout & de ipso auro, & lapidibus ipsis loquendo) ex quo spiritus ille acidus, arte chymicâ haberi non possit. In aliquibus copiosior est, parcior in alijs; in Vitriolo certè, si in aliquo alio corpore, invenitur copiosissimus, ità ut una libra ejusdem, plus spiritûs exhibeat, quàm decem libræ sulphuris; quomodo ergo dicere, jure quis poterit, sulphuris spiritum, esse in Vitriolo? Spiritum Vitrioli in sulphure esse, rectius quis dixerit, quod tamen etiam falsum est; quia spiritus ille, non

D Vi-

Vitriolo aut ſulphuri eſt proprius, ſed omnibus rebus communis.

Vires magnas Vitriolo inditas eſſe fateor, jámque Baſilius Valentinus, jámque olim & alij poſt ipſum, copioſiſſimè eaſdem deſcripſerunt. Salivationem factam à Vitriolo velut â Mercurio vix credibile; quia contigerit licèt ſemel, non tamen ſemper; prout in Mercurio obſervamus. Sulphur anodinum in Vitriolo. eſſe lubens fateor: Non Entiſtas nil moror, qui ſuo cerebro menſurant omnia. Doctoris Elsneri obſervationes, laudabiles ſunt, purum & genuinum ſulphur, in præparatione factum eſſe, non videtur, quod canem reddidit Catalephticum potiùs, quàm dormientem; figendo ſpiritus, unde verum ſulphur anodinum ſic præparatum non eſt; quia illud in ſubtiliſſimis Vitrioli partibus, ab adeptis quæritur, hic Colophonium miſcetur vitriolo; quare tinctura, utriusq; eſt progenies.

Sulphur anodinum ex puro vitriolo paratur modo ſubtiliſſimo. Hanc artem calluit Doctor Marci f. m. Præceptor meus, ex quo ſuum Doctoris ad imitationem Helmontij parabat: narravit & idem, quendam S. J. Religioſum, noviſſe ex Vitriolo, educere eſſentiam, fragrantiſſimam, ſulphurei odoris, cujus gutta una, aut altera, vitrum vini, ubi

aureo

aureo tinxit colore, saporis amabilis ; insigne reddidisse cordiale. Apponerem modum ab eodem edoctum tale sulphur comparandi ; sed reservo in alium locum, quia mihi iste sub manibus crescit liber. Processus subtilissima separat, in spiritu volatili ; qui non reperiet ; nullibi inveniet. Spiritus Vitrioli quod salia volatilia mortificet, plûs quàm notum est, quomodo verò id fiat, Author Tartaro-Mastigis, si apponere debuisset, tinctura cærulea Hoffmaniana typis ab ipso Hoffmanno edita, suas laudes in praxi ostendet. Sic tinctura anodina, liquor stipticus, arcanum ad vermes, secretum ad procidentiam, magnis titulis commendata, beabunt Medicum si per illa amissam valetudinem recuperabunt ægroti ; ego ejusmodi titulis, sæpissime invitatus, plerunque deceptus sum.

CAPUT IV.
De Alumine.

ALumen, inveniri in Moravia, nimis quàm verum est ; per quod terra & aquæ multæ inficiuntur, illudque morborum Moravicorum, partialis sine dubio causa esse poterit. Alumen Scajolæ Moravicam progeniem, me videre non contigit ; fides sit penès Authorem. Pulvis febrilis speci-

cificus secretus nè sub tot paroxysmis ægrotos gemere permitteret, optandum esset.

Sylvij mixturam pro vomitu compescendo, laudo si sic operetur, ùt dicitur. Pulvis ad Hæmorrhogias secretum Doctoris Hertot suis non dubito respondebit assignatis virtutibus, praxis consulenda. Quæ de Alumine Scajolæ narrantur artificia suos exornant Authores.

CAPUT V.

De Succino.

SVccinum in Moravia, Borussico inveniri simile, mihi nullus persvadeat; quia Borussicum ex mari, Moravicum autem ex terra eruitur. De illo Schröderus; quod sit succus bituminosus in mari concretus, ad quam concretionem, salsedo maris non parùm facit; est ergo succinum mixtum quid ex bitumine, & salis marini particulis, subtilissimis. Si comparemus virtutes utriusque, exiguas, aut nullas, Moravicum de Borussico possidebit:

Bitumen, suas etiam dotes, à Creatore inditas habet, ast succinum vocare, est corvum gallinam appellare. Rursus hic Author, virtutes succini, ex alijs libris descriptas proponit; quem autem in finem, hæc exscripsit? sed

ſed dices: afferuntur medicamina variorum morborum: omnino ſi hiſtoriæ eorum, quibus medicamina in morbis profuiſſent, eorûmque curæ, adjectæ fuiſſent & medicis ſatisfeciſſet.

Pulvis ad calculum, Doctoris Hertot ſenioris, faciet officium ſuum, non dubito; ſed cur idem, tot inutilibus ſumptibus Patriam involvit? Ad calculum, ſemen abjectis. arcanum eſt; illudque ſolum patriæ bono proponi debuiſſet: ſuſpectus itaque eſt pulvis, in quo minoribus, contra calculum arcanis, ijs tamen magni pretij, ſuperatur ſemen abjectis quod arcanum eſt parvi pretij: ſal enim volatile ſuccini, magiſterium oculorum cancri, multò emuntur, quæ tamen arcana nullus dixerit, hæc copioſè pulveri ad calculum miſcentur, aſt ſemen abjectis ubiq; reperibile & viliſſimi pretij in emolumentum Patriæ parciſſimè ingeritur, & tamen arcanum vocatur. Mizaldinum artificium dubium movet, quia Mizaldus multa falſa ſcripſit.

CAPUT VI.

De Gagate, & Carbone foſſili.

Bitumine plenam terram cruſtoſam, Schröderus dicit Gagatem, & odor accenſi confirmat. Deflorata, an ſumpto

 eodem

eodem mejere cogantur, videant ejusmodi curiosuli, fabulam tamen esse puto; Accensus odor Gigatis, si dæmonibus contrarius, meritò ab exorcistis in usum revocandus.

Carbones fossiles, dari in Moravia, nihil singulare; quia caput vaporibus per arterias implent, idcirco vitandus eorum nidor.

CAPUT VII.
De Mumia.

CVm Mumia, sit cadaver, varijs conditum aromatibus, prout è Bauhino allegat Author; & ità â Medicis, & Pharmocopæis intelligitur, sic pro succo, quem hic Author succinum appellat, sumi non potest. Vnde cum ejusmodi cadavera, passim in Moravia. Ægyptiacis similia, non inveniantur, Mumia quoque reperibilis non est. Iustè damnantur Mumiæ omnes, in usum medicum introductæ; cùm salubriora adsint pharmaca, idque jam olim prudentiores fecerunt Medici.

Sed bone DEus! Quorsum deflectit Author? Qui Tartarum-Mastigare intendebat, jam distractus alijs, ad conditura descendit corporum; quæ tantum â Tartari flagello abest, sicut cælum â terra. Bilsius, quemmodum condiendi noverit, quid hoc ad rem?

Sanè,

Sanè, Moravis ipsius conditura nimio veniret pretio, qui pro ducenda sua arte 100000. Imperialium superbè petijt. Nobis ordinarij sufficiunt modi, quorum & Author Tartaro-Mastigis proponit unum; sed injurius in Patriam videtur, cùm enim in laudem emolumentumque Patriæ Mumiam, id est succum allegatum, pro condiendis corporibus offerat, nunc contemni ab eodem apparet, dum in sua conditura nec granum de Mumia Moravica usurpat. Siccine illi, qui emolumentum patriæ quærere se dicit, licet remedia domestica negligere, & peregrina adhibere? Videat quomodo hanc labem â se propellet.

CAPUT VIII.

De Vni-Cornu Fossili.

DE hoc quid ex dictis Authoris, statuere quis possit, non video; jam enim dicitur esse Marga, quæ in poros ossis, vel ligni, se insinuavit; alibi autem pura Marga, quæ in formam seu cavitatem, Gigantæum os exprimentem, influxit, sicque os Gigantis, vel alicujus animalis mentitur. Si Vni Cornu fossile, est Marga; dotes easdem habebit, quas Marga; sed consequens est falsum, ergo & Antecedens, quia nullus Authorum, has vires assignabit Margæ, nec ulla probat experientia.

 Et

Et quæso, quis formam illam, pro osse Gigantis, aut Draconis figuravit? Quis fusor illius Massæ fuit? Nisi Pygmæos montanos, aut alios genios, dicas, non invenio. Casu evenisse, ridiculum est asserere; Natura quomodo id fecerit, non video; instrui me permittam.

Sed quid hic liquor salis Nitri facit, de quo Marga mecgranum habebit forsitan? Quis ille liquor Nitri lacteus? Solutúmne Nitrum aquositate aliquâ, an aliquid aliud intelligendum? Explicari oportebat. Ast falsa est hæc assertio: solutum enim Nitrum, in aqua gustu se prodit, quare talis solutio, in Marga, linguâ deprehenderetur.

Respondebis forsitan; per minima mixtum, obrutúmque alijs particulis esse. Ad quod regero: si plures, in Marga adsint partes, quæ Nitri obtundant saporem, tum necesse est, paucum adesse liquorem Nitri; sed ille Margam solvere non poterit, quantitate minori existens, ergo de Marga, per liquorem Nitrosum soluta, inanis est sententia: necessum enim est, ut solvens excedat quantitate solutum sicut continens contentum, cum in se solutum contineat. Iam si tanta quantitas liquoris Nitrosi misceatur Margæ, impossibile, quin gustu deprehendatur, vel ergo Nitrum non est in Vni-Cornu copiosum,

&

& sic Marga per liquorem non solvitur, vel Marga gustu salem Nitri patefaciet; Margam autem vocat Author terram limosam, gypseam salis Nitrosi, humoris copia irrigatam, sed quàm bene, videamus.

Unicornu materia (quæ secundum Authorem Marga est, hæc vero limus, gypsum, & liquor Nitrosus) pariter est limus, gypsum, & liquor Nitrosus, ergo dotes assignatas non habebit. Probatur gypsum venenum est: sic enim inter venena à Sennerto, Ionstono & alijs recensetur, ejusque noxa taliter describitur: Gypsum intra corpus sumptum tussim vehementem, ariditatem linguæ, & faucium, gravissimumque circa os ventriculi, & stomachum dolorem, ac singultum, tensionem in hypochondrijs colicam, ventris obstructionem excitat, ac præterea torporem, delirium, mollificationem membrorum, anxietates, syncopen parit, & strangulando jugulat. Ergo non alexipharmacum, sed potius toxicum esse necesse est. Limus parum differens, si non æquales, non minores multò corpori inducet noxas, quare nisi stultus alexipharmacum vocabit.

Repones: terra sigillata est alexipharmacum, sed hæc est limus, ergo limus est alexipharmacum. Respondeo negando minorem: quamvis enim limo similiter tractari

 possit

possit à figulo, Anatomia tamen ipsius, sulphur excoctum cum sale balsamico, quæ ambo in limo, non invenibilia, nobis exhibet. Nitrum, quod Author, morborum causam Moravicorum in Præfatione, nunc in numerum alexipharmacorum, sed erroneè inducit; pares cum unicornu virtutes nunquam habet simplex Nitrum.

Ex his tribus, natura secundum Authorem, componit unicornu fossile. Concludo, si unicornu ex his tribus componitur, operabitur eadem mala, quæ partes componentes, extra mixtionem operantur, hinc unicornu ob gypsum & Limum venenum erit, Nitrum per solam mixtionem, illa mala non corriget, patet exemplo: cum mixtum Gypso, canique propinatum, eundem, nisi revomat, sensim conficit. Subsumo; si secundùm Authorem, adversùs venena unicornu exhibetur, cor, stomachum, vires confortat; minimè certam reddit Authoris Tartaro-Mastigis doctrinam, de natura unicornu; vel incertum est, assignatas virtutes possidere unicornu.

Plura non addo. Ex qua verò materia constet unicornu, meum non est hic scribere: dico tamen, sulphure albo excocto, & sale, Naturæ Balsamico, mixtis terræ, & aquæ puræ principijs esse confectum. Qui rerum ana-

anatomen habet aliquantùm perſpectam, is me intelliget; reliquos non moror: mixtionis modum, quia non mei eſt pro nunc officij, ad aliud opuſculum reſervo.

CAPUT IX.
De Manna.

NAturam ejus, cum ſit difficilè explicare, ſuasque & Kircheri deſcriptio patiatur difficultates, nihil ſingulare dicendum occurrit, niſi quod Manna Moravica nullatenus ſit ejusdem cum Calabrina naturæ, & ſi ità, cur pro gloria Patriæ, in uſum Medicum ab Authore in locum Calabrinæ non ſubſtituitur? Veretur profectò, ne evanidas aut noxias inveniat vires.

Noſtri Pharmacopæi, ſapientiores multò ſunt, qui talem Mannam, in ſuas officinas importari non permittent. Medicamenta ex Manna cum tantum ſint ſolutiones, nihil ſpeciale dici poſtulant. Aurum potabile Doctor Ex. timeo ne ſit putabile, quia per Spiritum Mannæ qui acidus eſt paratur, non eſt geminum. Spiritus Mannæ nihil ſingulare eſt ab omnibus facilè parabilis.

De Cryſtallo & Gemmis.

CAPUT X.

NAſci Cryſtallum, aliasque gemmas in Moravia, ut eidem utile, ità commune vicinis Regionibus. Cryſtalli generandæ modus deſcriptus, quàm obſcurus ſit, nemo eſt, qui non videat magnetiſmus ille glebarum, ſale Nitroſo turgidarum, cum vaporibus ſalinis, vi centralis ignis, ſúblevatis, eſt imaginatius; dicitur enim, & non probatur; & licèt tales vapores, cùm aſſignatis glebis conjungerentur, ſpiritúsque lapidificus adveniret, non faceret indè gemmam, aut cryſtallum. Mihi generationis earundem ex obſervatione creſcentiæ lapidis marmorei, in crypta Kyritainenſi Moravorum, iſte videtur eſſe certiſſimus modus.

Vidi inibi ſtillantem aquam limpidiſſimam albiſſimi coloris, ſaporis ſubdulcis, aliquantum tamen gravem, ex fornice marmoreo; quæ guttatim decidens oblongas faciebat in illa mora antequam â fornice ſepararetur guttas; aliquæ ex his guttis, circumdatæ ſuperficie exteriori, cruſtâ quadâm tenuiſſimâ, fuère, ex alijs, efformabatur canaliculus, aquam in ſe continens; quæ parte unâ poſt partem, in cruſtaceam verſa eſt materiam,

ı, alibi illa tota stilla, tophaciam est ade-
naturam. Guttæ vicinæ, per illam cru-
:eam guttam, decurrentes, sensim & sen-
(interea temporis etiam aliquæ guttæ in
am ceciderunt, & inibi suo tempore la-
ficatæ) durius corpus nactæ sunt, & ità
pus stillæ, in longum & latum augebant,
ɔide semper existente molliori; basi verò
iore: cortex extimus durissimus, medul-
ıollior, in sui medio, aquam quasi in ca-
culo continens; decussam grandiorem,
iam diversissimæ inveni duritiei; nam,
apud basim splendidissima, & duritiei
moreæ erat, versùs conum verò mollior,
ıoso lapidi persimilis, prope conum to-
:cea, & mollis erat materia, humiditati
eæ aliquantùm permixta, ità ut digitis
teri potuerit; in coni autem ipsius apice
m aut alteram guttam aquæ reperire con-
:.

Hinc conjecturari facilè possum, aquam
ıo in crustosam materiam, post lapidem,
lem, tandem marmoream duritiem, vir-
fermentali lapideâ, aquæ indita conver-
Hoc exemplo motus crystallum, & re-
ıs gemmas simili modo nasci conijcio.
Crystallus generabitur, ex aqua purissima
ıento lapideo, impregnata, cui modicum
sulphuris, & salis generalis, terræ verò ni-
hil,

hil, vel valdè parùm sit immixtum; vi ejusdem fermenti, coagulatâ, diaphaneitatem suam, aquæ debet; quæ terræ opacitate, contaminata non est.

Gemma, præter aquam & salem, rubrum magis aut minus sulphur continet; unde pro diversitate mixtionis salis, cum sulphure, colores varios exoriri, necesse est: sal enim sulphuris, colores intendit, minuit & mutat, pro varia mixtione, experimento â me sæpiùs probato. Terram, Gemmæ, nisi per exiguam vix habent.

Lapides pretiosi, eundem habebunt cum gemmis, suæ originis modum; sed terra his abundat copiosa, unde adiaphani prodeunt. Hæc conjecturari ex historia suprà descripta licuit; si quis meliora dabit, mutabo sententiam. Quomodo autem aquæ corpus, lapideam induat naturam, si quis scire cupit, is consideret experimentum Helmontij; qui virgam saliceam, nutrivit aquâ distillatâ; hæc vi spiritûs salici, â natura insiti, in alimentum, & substantiam ejus conversa, cum tempore grandem dedit arborem.

Admiranda hic est Divina Omnipotentia, nec vegetativa, lapidibus denegata natura: spiritus enim universi, idem in lapidibus, qui in alijs creatis, operatur secundùm fines â Deo constitutos; ille aquam in lapidem, in-

au-

aurum, in herbam, in arborem, in animal, pro diversitate fermenti, aut seminis, in creatione loco cuilibet, aut rei, inditi, convertit. Experientia Metallurgorum nos edocet, quòd fodinarum ostia, quæ ante centum, ducentos, aut trecentos annos erant amplissima (historiâ teste) tractû temporis, tam angusta (naturâ, non minùs conjunctionem partium ad invicem, in lapidibus, ac animalibus intendente) sunt effecta, ut nec pusioni pateret per illa, ampliùs ingressus; cùm antea erecto corpore, vir proceræ staturæ, intrare potuerit.

In Murano prope Venetias oppido, in quo fornaces vitriariæ, diu noctuque exercentur, & magna silicum copia, pro vitri materia, navibus, per mare advehitur, compertum est; si silices anno integro sub dio jaceant, fieri multò majores, quàm fuissent advecti, centum libræ promunt 110. per annum figurâ eorundem invariatâ. Obijcies, ergo portentosa fiet lapidum cum tempore moles. Respondeo, ut vegetabilibus & animalibus, sic & lapidibus positus erit molis terminus.

CAPUT XI.

De Marmore, alijsq; lapidibus.

NIhil hic singulare occurrit, nisi circa ostiocollam, quam licet in Moraviâ non invenerit Author, tamen loco illius lapi-

pidem Kyriteinensem in ossium fracturis adhibendum ponit idem. Quia vero lapidem illum à Germanis Walstein nominari asserit, quo nomine Schröderus, & alij Ostiocollam appellant. Idcirco lapidem Kyriteinensem etiam ab Authore Ostiocollam appellari necesse est, vel falsè ipsi tale nomen Germanicum apposuit. Qui lapis cum fiat tractu temporis durissimus, & penè marmoreus, ut cap: de crystallo dictum, sic ostiocollæ vires non æmulabitur, nisi eandem Virtutem marmori, aut cuique durissimo lapidi concesseris, quod tamen necdum observasti.

CAPUT XII.

De diversis fodinis metallicis.

AVrum in Moravia reperiri, nihil est novi; cum non sit regio, ubi non arena, lapides, vel limus inveniantur; in quibus, si non corporale, saltem spirituale (sic Chymicis dictum) reperiri potest: est enim aurum creatura DEI mirabilis; cujus, lux, & per hanc sol, est primum in generatione principium, quod in cælo aëre, terra, marique, fontibus, ac fluvijs in omnibus animalibus vegetabilibus, non corporale quidem, sed

em-

embryonatum (chymico verbo) invenitur. Ex omni carbone, vegetabilis, aut animalis subjecti, per corpus aliquod metallicum, visibile, & corporeum, ipso metallico perfectius praxi perexiguâ fieri potest.

Medicamenta, quin ex eo, ad vitam longam, parari possint, non est quod dubitem; sed paucis cognitus est modus; Sed quis vellet tam pretiosum destruere metallum, cum in Electro immaturo Paracelsi, sive Saturno Philosophico (non intellige Antimonium) in copia, illud idem aurum spirituale, maturum, & digestum, inveniri possit, facillimè usui medicamentoso accomodandum? Qui paris activitatis, in Hæmatide, granatis, silicibus quibusdam scit invenire, destruere aurum necesse non habet, cujus secundùm Philosophos difficilior est destructio, quàm compositio.

Febrifugum Riverianum, minimè nobis Authoris favor, concessit; sed primus, in sua Chymia reformata manifestavit Rolfinkius. Dicit tamē Piens: nō semper sustulisse febres.

CAPUT XIII.

De argenti Fodinis.

ARgentum, magnis â Creatore dotatum virtutibus, quin sit, nullus dubito; optandum, ut copiosius effoderetur in Mo-

Moravia. Vires ejus, nobis abundè deſcripſerunt antiquiſſimi Chymici; nauſeabunda ergo eſt repetita deſcriptio. Capillorum in nigros tinctio, ſi procuretur, faciet Authori quæſtum; ſenes enim ſuos canos mentiri poterunt, neque capillis alienis (barocis vulgò) juventam ſimulare, opus habebunt.

CAPUT XIV.

De Plumbi Fodinis.

MInorem theſaurum in plumbo, quàm in argento habet Moravia, cujus virtutes omnes nôrunt Medici, tincturam antiphyſicam Authori relinquo probandam.

CAPUT XV.

De Ferri Fodinis.

FErrum eſſe medicinam ſaluberrimam, lubens fateor, & plures in illo dotes, quàm in auro corporali ſunt invenibiles: pollet enim virtutibus aperitivis, adſtringentibus, laxativis, abſtergentibus, conſolidantibus, incarnativis, confortantibus, & alijs plurimis; imò copioſo auro volatili, abundat.

Arcanus, qui hic commendatur pulvis, arcanus non eſt; quia vis ejus, in Martis Vi-

triolo

triolo omnibus notissimo consistit; Ebore & fæculà Aronis minùs operantibus; imò, Ebur crudum, majoribus pollet virtutibus, quàm illud, quod sine igne calcinatum est, teste experientiâ.

CAPUT XVI.

De Aquis medicatis Moraviæ.

TRactatum sat magnum, Boëmico conscripsit idiomate Iordanus, Moraviæ quondam Medicus, in quo in Germanicam linguam vertendo, si tempus impendisset Author, plus laudis apud illos, qui Boëmicum ignorant idioma, adeptus fuisset, quàm apud Doctos, per suum Tartaro-Mastigem. Si utique medicatas aquas, denuo anatemizâsset, & diligenter examinâsset, nobisque illustrasset observationibus, emolumentum Patriæ, sibi laudem attulisset; ast facilius erat virtutes aquarum ex Iordano transcribere, quàm denuo experiri. Manet ergo sua laus Iordano, tanquam solerti Medico, & Patriæ utilissimo; Authori verò, præmium descriptoris superetit.

Æmulatus tamen est Iordanum in unico, dum aquam fontis Viti describit; sed immatura est observatio, & imperfecta; sperabimus maturandam, & perfectiorem nobis describendam.

CAPUT XVII.

De Arboribus, & Plantis Moraviæ.

IN ſignem Hiſtoricum & Rhetorem ac Encomiaſten, etiam rerum, necdum exiſtentium, in ſuo libro Medico, agit Author Tartaro Maſtigis, plantas deſcribit, in hortis plurimis, varias; arbores diverſas, vix non ut Cicero deprædicat. Hæc quidem, ſuo loco benè dicuntur, aſt hic inoportunè.

Quàm benè nunc Tartaro, qui per multa libri capita inducias reſpirandi habet, â tot imaginarijs verberibus! Sed ex tilia flagellum Tartari eruitur: timeo, ne â Tartaro irridendum; experientia demonſtrabit. Sed quid dicam de horto Patrui tantopere deprædicato? Diligentia, in tot herbis rarioribus conquirendis, laudem meretur; ſi ſenſitiva, ſenſum oſtenderet, pretioſior erit hortus. Tartophili Tribuli Patrijs alijs ſunt copioſiores, bonum tamen eſt, ſi calculum pellant. Quorſum nunc miſer Tartarus fugiet? cùm & Tribulos, in arma contrà ipſum invocamus? ſequentur brevi ſpinæ.

CAPUT XVIII.

De Cryptis mirandis Moraviæ.

CVrioſitas, eaſdem videndi, me impulit, ut Kyritainenſem ſubintrarem; quid in illâ prævulgò obſervaverim, ſuperiùs

de

le cryſtallo narravi ; reliquas, necdum ob nopiam occaſionis videre contigit ; cona- ›or tamen & has adire, ſi quid, viris doctis lignum, invenero, ſuo loco patefaciam : hiſtoriam enim antrorum ſcribere, ſine Medica tractatione, non eſt ad meum palatum.

CAPUT XIX.

De Echo mirabili.

ECho, ſuam definitionem, & productionis modum, ex principijs Geometricis ſortiri debet ; de hac R. P. Kircher S. I. in ſua Muſurgia, admiranda artificia, pro libitu artificis, naturam ipſam ſuperantia proponit. Hinc allatam Echo, non eſt, quod admiremur, quæ inter ſtricta montana, ſibi ſimiles invenit, imò mirabiliores.

Novi ego in Bohemia locum, ad Microskal, in quo bombarda explosâ, centum & ultra ictibus reſpondebat ; alterum prope Strzedokluk duobus Pragâ milliaribus, ſcio locum, in quo brevem cantum tubæ campeſtris, ter articulatiſſimè repetebat Echo. Sed quid hæc ad Tartaro-Maſtigem ? niſi fortè, ut ictus imaginarios Tartaro illatos, Echo repetat ? Ridet ille, háſce minas & verbera ; neque pelli ſe, huc uſque paſſus eſt, imò obſtinatior evadet, ſi tam ſuperbè tractetur.

Ex his omnibus hucusque enarratis capitibus,

bus, quàm præcociter philoſophatus ſit Authorjudicet æquus Lector; combinet dicta mea, cum Authoris aſſertis, & videbit me ſinè paſſione, de veritate locutum. Certè malè anatomizavit terram Moravicam, & omnes ejusdem raritates. Si non meliùs, ſuæ ſectioni, hoc tempore dum hæc ſcribo ſubjectum cadaver, perſcrutatus tractaverit, exiguam per oſtentatas, ſcientias, apud viros doctos laudem promerebitur; conſuluit tamen ſuæ famæ, & ne cenſorem haberet ullum, oblitus eſt, ad ſuam anatomiam, invitare Medicos impartiales, ſic certè fecit, ut, an benè vel malè peregerit, nullus artis conſcius judicare poſſit; ſi hi, quos habuit ſpectatores, ferant judicium, non different à cæco, qui judicat de coloribus; ſed fortè, jam Philoſophiæ oblitus, melioré anatomen in parte ſecunda inſtituit; examinabo eandem, quæ ſiquidem tota eſt Medica, medicè procedam; ſi durius examen fecero, ignoſcet Author; quia ubi veritas inquirenda eſt, amicitia poſtponi debet: dici enim aſſolet; Amicus Hippocrates, amicus Ariſtoteles, amicus Galenus, amicus Paracelſus, amicus Helmont, & amicus Hertod, &c. Sed magis amica veritas: nec tamen per hoc, amicitiam exutam velim; ſi veritatem rigidiſſimè propugnabo: finito enim litterario certamine, imò & ſub ipſo, ſemper amicitia inviolata manet, & manebit.

PARS II.

ARS SECUNDA.

CAPUT I.

De affectione Hypochondriaca.

HÆc Lærna malorum Medicorum opprobrium, nulli statui parcens, doctos potissimùm ac diligentes, ut & probos, ac sanctos viros invadens, mereretur, ut non solum Authore, sed etiam ab omnibus Medicis, imè mastigaretur, ast multiceps Hydra, it hactenus Medicorum perfectam cu- ; ad tempus aliquando, arte Medici pro- itur; sed fortioribus armis reversa, de- n affligit, & mortificat. Præfigit quidem hor, quasi hæderam, volantem famam, toti orbi, hanc & quatuor alia monstra, rte secunda, à se depellenda denuntiat; ietuo, nè sole veritatis illucescente, im- ais, cerâ liquefactâ, reddatur fama, & gatur cum Icaro in profundum: ne ta- sententiam, ante processum feramus, mus tantisper, quid de illa scribat Au- Tartaro-Mastigis non potui tamen , B. L. non monere; Hypochondriacam

 affe-

affectionem, malè inter morbos endemios Moraviæ constitui: cum enim toti Europæ sit communis, plerumque morbus hic nobilibus & cultioribus hominibus infensus, rusticis verò aut plebeis (secùs est cum scorbuto, qui in Norvegia, Dania cæterisque Maris Baltici regionibus, pariter rusticos, ac nobiles, viros, ac fæminas, juvenes, & senes, sinè ullo prorsus discrimine, & per hoc Endemius vocari meruit, divexat) ignotus planè, sicque iisdem non proprius; Endemius vocari, nullo modo potest.

SECTIO I.

Examinatur & oppugnatur sententia.

AVdiamus nunc definitionem affectionis Hypochondriacæ, ab Authore allatam; sic inquit: *Affectio Hypochondriaca, est colluvies Tartari Mucilaginosi, & Argillosi, Salino-Nitrosis particulis impregnata, in vena porta mesenterica, sed quàm maximè in arteria Cœliaca, & ductûs Pancreatici ramis, collecta, concurrente succo acido, varia producens symptomata.* Hanc suam definitionem, fusiùs explicat sequentibus paginis; & principem causam ponit, sinè qua, non datur affectus: *nimirum obstructionem in osculis arteriæ*

liaca (vide paginam 167, 168.) *vel ductûs ancreatici, vel mesenterica, vel vena portâ; iâ factâ allapsus, vi circulationis, sanguis, m progredi non possit: auget obstructionem; tic, à Tartaro Mucilaginoso, Salino-Nitrosis rticulis, impregnato, obstructioni factæ supernit acidum, quod morâ suâ acescit magis, & rmentatione (eo modo, quo spiritus vitrioli sur salem Tartari fusus) conceptâ, varia proicit symptomata.*

Suppono B. Lectorem, mentem Authos percepisse; sicque ille, sepositâ antiquoım sententiâ, hanc suam novam proponit; axim illi superstruit; sed quàm benè? feıentia declarabunt. Supponamus interim uod veritati repugnare infra demonstrabir) potissimùm causam esse, obstructionem, ıam colluvies Tartari Mucilaginosi, Argilsi Salino-Nitrosis particulis impraegnati, ficit & causat, tum manifestam, in termis, implicantiam inveniemus; idem enim ostructionem faciet, idem inventam resolt. Probatur manifestè; cùm Tartarus, ob em & Nitrum (ideo enim ubique Tartam sic impraegnatum, requirit Author) obuctionem facere debeat, necessariò Sal & trum sunt causa obstructionis; sed hoc e non potest, ergo & reliqua. Major est ıthoris, qui in prima parte, capite de Nitro

ut & in Præfatione sua, pariter capite de Calce (ô quàm hîc silet Author! Ibi, calcem, Moravicorum morborum causam faciebat, nunc nec mentionem facit) Nitrum, omnis mali fontem arguit, ideóque illud, in Tartaro hospitans obstructionem, secundùm Authorem facit. Minor probatur, Sali ut & Nitro vis obstruendi non comperit, ergo esse non potest, obstructionem fieri à Nitro.

Antecedens probatur, Primò, non sali, quia ille contrarias possidet vires; secundò, nec Nitro; quia similibus pollet virtutibus. De sale scribunt omnes Medici, & experientia evincit; Schröderus potissimùm taliter: Sal calefacit, exsiccat, astringit leniter, abstergit, dissolvit, purgat, consumit superfluitates, penetrat, aperit, digerit, incidit. Iam si Sal penetrat, dissolvit, incidit, aperit; obstruere, & coagulare non poterit; quia actiones, sunt sibi contradictoriæ (nam apertio negat obstructionem, dissolutio coagulationem) verum est prius, secundùm omnes Medicos, & experientiam, ergo stare non potest posterius; ergo verum non est Authoris dictum; quod Salinosæ particulæ obstructionem faciant, & probant thermæ salsæ, quas ad obstructiones factas, cum fructu adhibemus.

Notatum velim, cum Author copulativè de Salino-Nitrosis particulis loquatur, sicq; disjun-

junctivè Salinosis & Nitrosis intelligen-
m velit, aliàs si salem exclusisset, salis Ni-
osi particulis dicere debuisset, ideo, argu-
entum de Sale & Nitro desumo; quod si
tem ille solum Nitrum intellexisset, omit-
nda erit instantia de sale.

Fortè Nitrum aptum est, ut obstructio-
s pariat; audiamus, quid Medici de illo lo-
antur, sic Schröderus: Nitrum vim habet,
tredini resistendi, sitim & æstum compe-
endi, Tartaream Saburram incidendi, san-
inis grumos coagulatos resolvendi, &c.
go si pollet vi Tartarum incidendi, impe-
et, ne ille coaguletur, si non poterit coagu-
i, non poterit & obstruere; prior enim
turâ est coagulatio, quàm obstructio.

Secundo, si Nitrum, Tartaream sabur-
m incidit, ergo agit in seipsum, quia secun-
m Authorem est pars Tartari Morbosi.
inc patet evidenter, vel omnes Medicos,
i de Nitro scripserunt, illúdque vi inciden-
& aperiendi (sic Senertus lib. 5. part. 1.
ct. 1. cap. 6. p. m 863. aperientia Medica-
enta vocat illa, quæ Nitrosum, & salsum
oorem habent, ut & amarum, acre, aci-
m) errâsse; vel illos verum dixisse, & Au-
orem Tartaro-Mastigis falsum. Si igitur
l, non coagulat, nec obstruit, neque Ni-
m ejusmodi, imò potiùs contrarijs doti-
bus

bus sit præditum, quomodo nunc ejusmodi Tartarêa colluvies, obstructionem pariet? Si domesticos, obstructionum inimicos, in se alat, foveat, ac ex illis constet?

Clarè ergo demonstrâsse, unum ex his duobus, me puto; vel obstructionem â Tartaro Mucilaginoso salino Nitrosis particulis imprægnato non fieri; vel si fiat â Tartarò, eum non posse constare ejusmodi particulis. Eligat, quod vult, Author Tartaro-Mastigis, ubique captus est.

Sed inquies: Nitrum solum, sinè alijs adjunctis, obstructionem solvit; cum alijs verò mixtum, eandem facit. Respondeo: si Nitrum, misceatur cum alijs rebus, vel manet Nitrum, vel non manet Nitrum; si manet Nitrum, naturam suam retinebit, & obstructioni adversabitur; si non manet, tunc male dictum est, talem Tartarum, Nitro imprægnatum;

Vrgebis: Paucitas Nitrosarum particularum, non potest impedire, quo minùs reliquæ particulæ Tartari obstructionem faciant: Respondeo; si tam parva salium est quantitas, ut virtus eorundem obtundatur, tunc vis obstruendi in Tartaro, salino Nitrosis particulis assignata male est apposita: quòd enim causam morbi evertit, in ejusdem causam assignari, non potest. Demus, Tartarum

n argillosum, hoc per se facere posse; Sal Nitrum, eidem in radice contraria, cumdem in quacunque quantitate mixta, inncausam tamen, nisi sine ratione vocari n possunt.

Instabis: Ferrum obstructiones (v. g. nsium) aperit, idem nimium eorundem xum, compescit, & constringit, ergo idem eriet, & obstruet; ergo nihil impossibile, absurdum est, idem de Nitro enuntiare; spondeo; dato (quia falsa est sententia, r apertientia curari morbos; neque ferrum nc virtutem habet, nisi per accidens) ferm, hoc modo operari; nunquam illud ta:n, obstructionem inducet; sed, si laxitas venis, intestinis, visceribus accidat; hæc nnia roborando, & stringendo fibras; non struendo, corriget.

Vnde nec aditum naturæ motui præcludit: in nimio menstruorum fluxu, relaxata ar iarum, aut venarum oscula, vel fibras in turalem statum reducit, & roborat facul em retentricem: non autem meatum oc idit, & impedit naturæ motum, quod ob uctionibus est proprium. Si quid ejus odi, in Nitro quoque invenibile, operabi r pari modo; nunquam tamen, obstructio m faciet, prout nec ferrum.

§ E-

SECTIO II.

Vlterius oppugnatur sententia.

DAtis tamen, his omnibus absurditatibus, veritati maximè repugnans est hæc sententia, quæ Hypochondriacam affectionem, ab obstructione arteriæ cæliacæ, & venæportæ, oriri docet: si enim obstructio esset in arteria, tum vel in principio, vel in medio (sub hoc intelliguntur omnes partes, quæ sunt inter duo extrema arteriæ) vel fieret in fine; sed primò non est in medio, sive spatio inter duo extrema, ergo. Subsumptum probatur; motus sanguinis impulsu cordis, in arteriam, tanquam antliâ ejaculati, frequentatis ictibus usque ad extremum arteriæ, & demum sive mediante aliquo viscere, sive parenchimate, sive quocunque alio, vel immediatè in venam vicinam continuatur; si ergo in medio (assignato quocunque inter extrema loco) stagnaret sanguis, transmitti non posset ad extremum arteriæ; ergo vena socia sanguine careret, & esset vacua, quia aliunde sangninem accipere nequit, & hunc quem habuit, jam cordi remisit.

Patet hoc manifestè, in ligaturis venarum, ubi, post ligaturam, versùs cor totus exoneratur sanguis, nec secta vena, sanguinem dabit; quod anatomicis notissimum.

Hinc

inc cùm viſcus illud, caro vel muſculi, quæ
ıguinem & alimentum, ab arteria antea ac-
ɔiebant, nunc marceſcent, & emorientur,
mento deſtituta; hoc tamen nullus obſer-
vit in affectione Hypochondriaca.

Secundò, impulſu novi ſanguinis pene-
ıre impotentis, anevriſma pati arteriam, vel
mpi neceſſe eſt: cum enim omni momen-
, novus in arterias impellatur ſanguis, qui
: his, mediatè, vel immediatè in venas tran-
, ubi venienti ſanguini obex ponitur; im-
ılſu ſuo, regredi quidem quaſi cogitur; ſed
veniente novo, repellitur, & comprimi-
ır, comprimens à novo ſuperveniente, rur-
s viciſſim comprimitur, & ſic de reliquis
rtibus; obſtructione enim poſitâ ſanguis
dere non poteſt, & quieſcens advenienti
ıpetuosè ſanguini minimè reſiſtere; fit er-
), ut duplum, triplum, quadruplum, imò
us quàm aliàs naturaliter aſſolet, in unum
cum compingatur ſanguinis: quàm mo-
m, cùm interior tunica arteriæ, licet durior,
ſtinere non poſſit, rumpitur; & effuſus ſan-
ɔis, ab externa tunica molliori detinetur,
âque dilatatâ, anevriſma (ſic enim Galenus,
:nnertus, anevriſma docent fieri) conſti-
ıit: ſi per hunc impetum, obſtructio non
lvatur, copioſior ſuperveniens ſanguis, rum-
t tandem externam tunicam, & ſanguis ex-
tra-

tra vasatus, symptomata arteriæ, in corpore ruptæ, producet. Hæc tamen, in nullo Hypochondriaco unquam, vel rarissimè observare contigit; neque id docuit ullus Authorum.

Sed dicas: postquam arteriæ ramus, impletus est; stagnans sanguis non compingitur, sed impulsu ab obstaculo hebetato, per medium intrat sanguis, ad latera verò expellitur. Respondeo hunc modum implicare: cum impulsus sanguis vadat per constrictionem arteriæ; hinc sanguis arteriæ, ramum subintrans, majoremque vim, in lateribus arteriæ, quàm in medio sustinens, in impellendo, nihil ad latera exire permittit, quia ibi constringitur & angustatur arteria.

Sed si dicas; ergo, si in medio sit impetus minor, tunc in medio stagnans sanguis, exire poterit; Respondeo: cùm in constrictione arteriæ, ferè se contingat latera tunicæ intrinsecæ, in medio ejaculatus sanguis regredi deberet, ut locum faceret expulso stagnanti sanguini; sed hunc, constricta arteria detinet; ergo multò magis expulsum; in apertione verò sua, licet aliquid regredi possit, tamen illud cum novo sanguine rursus impellitur, & sic inane est refugium captivo sanguini.

Dices secundò, impleatur ille ramus to-

tus arteriæ, & sanguis stagnet, cùm nullus fit locus vacuus, in principio ramificationis arteriæ, appulsus novus sanguis præter labetur, & non intrabit; quare tunica arteriæ, non dilatabitur, multo minùs rumpetur. Respondeo: ex hoc sequitur; ramum illum à motu & pulsatione cessare, quod implicare videtur; quia cum arteriæ, sint sibi continuæ; motus etiam per illas continuatur; qui si alicubi cessaverit, violentiam inferet naturæ, & multa mala adferet; spiritus vitalis impeditus tumultuabitur, nec ullus Authorum, aut observavit, aut dixit, & qui asseruerit, ei incumbet probatio; proinde si Author, hanc opinionem fovet eandem demonstrare necesse habebit. Sequela probatur: cùm aliàs per arteriæ systolen sanguis versùs osculum arteriæ, exprimatur, si exprimi non poterit, tunc constrictio arteriæ fieri prohibebitur; quia sanguis intermedius, quo minus latera arteriæ, sibi appropinquare possint, impediet, exemplo fistulæ coriaceæ, vel intestini alicujus, liquore nfarti antè & retro clausi; in quo, si latera :omprimere coneris, à contento liquore imɩedieris, & si vis magna fuerit adhibita, rumɩetur potius, quàcunque in parte; idem arɛriæ impletæ, & obstructæ contingeret, quæ, per suam diastolen, sive laterum ad invicem ompręssionem, sanguinem in anteriora pro-

 tru-

trudere, conaretur, ruptionem arteriæ efficeret; si verò debilis esset virtus, ob majorem resistentiam, à motu necessario cessaret; unde quid] illi sanguini fieret, inferius demonstrabitur. Imo si hæc sententia esset vera, quod impleto ramo arteriæ, sanguis reliquus præterlaberetur; nullum unquam anevrisma generaretur (quia arteriæ tunica interior hoc modo nunquam dilataretur) sed hoc falsùm esse, omnes practici testantur, nec unico excepto; ergo opinio superior falsa.

Regeres equidem, attractus sanguis per diastolen in systole, versùs extremum protruderur; sed quia impedimentum sentit, in nova sistole, retro greditur, & sic hinc & inde fluctuat. Respondeo: hoc esse nugari, in re seria: nam si versus anteriora recedit sanguis, cum sibi, per totum corpus, sit continuus, fluctuabit totus; hinc pulsus Hypochondriacorum, erit inordinatissimus; quod tamen veritati repugnat; & ità fieri debere, clarum est; quia, cum una pars sanguinis trudet alteram; hic impetus ibit versùs alias partes superiores; hæ rursus in contrarium protrusæ, facient cessare pulsum; sique sæpiùs & diutiùs, in parvis arterijs intermissiones fiant, poterit & in majoribus, tandem & ipso corde evenire. Hæc tamen omnia sunt ab Hypochondriacis aliena.

Obijcies

Objicies denuo; licet anevrisma sequeretur, non tamen rumpendam esse arteriam, quia modica licet, aliqua tamen cum sibilo, pars sanguinis pertransit. Respondeo; si hoc verum esset, tum alia Hypochondriæ cura institui deberet; aperientia enim, quæ tamen inclamat Author, essent inutilia, quia hæc ad curam anevrismatis, nihil facere possunt; prout nec practici ijsdem utuntur, & ratio est; cum sanguinem extravasatum & concretum, quasi, ruptâ tunicâ interiore, rarefacere deberent; fieret, ut tunica exterior, majis impleta, & extensa rumperetur juxta hoc rgumentum: quia rarefactione factâ sanguis cum majorem postulat, hinc tunicam usque l ruptionem extendit.

Sed dato, quòd sanguis, ibi, sinè aneismate restagnet; nec novus adveniat; sed ererlabatur, tum, cùm ventilari non possit; que calore, & spiritibus, â corde vegetari, redinem concipiet; vel in aliquid aliud enerabit, hinc vel phlegmon vel scirrus uis pro diversitate materiæ contentæ, tur: unde si phlegmon fuerit, propria sequentur symptomata, & in pus, mutanguine, illud vel effluet, & sic solvet obtionem; vel per moram, suâ acredine et arteriam, sicque etiam per hoc obrio tolletur sine ulla curatione; inde vero

rà malum incurabile evenire poterit; sed hoc in Hypochondriacis nunquam auditur. Vel si scirrus fuerit; vel quiscunque tumor immedicabile quoque faciet malum; quia medicamenta illuc penetrare non poterunt: hæc enim, vectore sanguine indigent, qui ex supposito præterlabitur, unde & medicamenta, obstructionem non attingent.

Fieret ergo, ex doctrina obstructionum affectio Hypochondriaca malum incurabile, quod tamen curari posse experientia docet, & Author intendit. Ex his omnibus manifeste elucet; inter duo extrema, sive medio arteriæ, obstructionem fieri non posse; vel si fiat, incurabilis erit, ex claré demonstratis.

SECTIO III.

Proponuntur plura argumenta contra sententiam.

Videamus nunc, an possit fieri in principio ramificationis, vel vicinâ aliquâ parte. Quæro quis obicem primum posuit, ut sanguis arteriam intrare non possit? Vel illa obstructio facta est instantaneè, vel sensim; si instantaneè, tum, vel est compressa arteria, in sui principio, vel aliquid illapsum & sedem ibi posuit, vel sanguis illo loco, coagulatus est; si compressionem arte-

riæ allegas, quomodo, & à quo probare debebas, & demonstrare. Neque Tartaream saburram, velim opponas; quia compressio, non ab intra, sed ab extra fieri debet; si aliunde quid obstruens advenit, ostendere unde & qualiter, & quo ductore ad arteriam cæliacam, & non ad alias sit directum, oportebat; si tertium afferas; tum principium coagulationis vel inest tunicæ interiori, arteriæ, vel ipsi sanguini; primum demonstrâsse, & quomodo, & quando, & à quo, hanc vim acceperit docuisse, necessum erat.

Si secundum admittatur, tum vel tota sanguinis massa, tali scatet dispositione, vel tantùm aliqua ejus particula; si tota sanguinis massa, ergo tota coagulabitur, & mors sequetur: non est enim ratio, cur in principio cæliacæ, & non alibi coaguletur: & impedimentum, quod allegabitur pro alijs arterijs, cæliacæ æquè serviet.

Si particula sanguinis tantùm sit taliter disposita, tum quæro, quis, & quare illam ad arteriam cæliacam, & non alias determinave-? nihil allegari poterit, quod non applicapossit, etiam alijs arterijs; & quomodo tam bito, in principio cæliacæ coagulatio facta? r non, priùsquàm eandem attigisset? Nii impedimenti, nulla ratio, nisi fortè aliqua ensata, afferri poterit: Idcirco instanta-

 neo,

nec, non poterit, in principio arteriæ fieri obstructio. Sed neque sensim; ergo nunquam. Probatur subsumptum; primo quia tempus, & mora non datur, ut aliquid, viscosius licet, affigi posset, quod non vi contractionis avelleretur; & motus fortis, ac velox prohibet, ne vel minima particula, inhiatione arteriæ hærere possit; secundo, sanguis novus penetrare volens suo impetu & calore, licet aliquid, ex præcedente sanguine, adhæsisset, resolvet & avellet.

Tertio, ut talis obstructio fieret, sensim debuit fieri, à crasso & quasi limoso, secundùm Authorem, & viscoso sanguine; si sensim fieret obstructio, & modica, singulis vicibus solummodo affigeretur particula, tum ingens ejusmodi saburræ copia, sanguini inesse deberet, quæ singulis vicibus aliquid deponeret, & affigeret; si ergo copia tam mali sanguinis est in corpore, tum pero rationem, cur idem sanguis, alios ramos Portæ non obstruit, & solam tantum cæliacam? certè nulla assignabitur.

Nonne ab eadem causa, si cætera paria, idem ubique sequetur effectus? atqui hic arteria, arteriæ similis, sanguis sanguini, facultas vitalis facultati; ergo omnia paria, ergo ubique obstructio.

Et Bone DEus! si sensim fieri deberet ob-

obſtructio, requireretur, ut tota maſſa ſanguinis Hypochondriacorum, eſſet plena Tartareâ ſaburrâ? Aſt ſectio venæ, floridiſſimum oſtendit plerunque, licet ex alio capite coloris mutationem ſubeat. Probatur ſequela. Cùm parum unâ vice apponatur & coaguletur, id compenſare debet frequentia, ut ductûs principium obſtruatur; ſed ut frequentia fiat, adeſſe debet copia; quia crebræ appoſitiones, â paucitate fieri non poſſunt; cùm de toto, quod tranſit, una mica ſaltem, per vicem reſtagnare ſupponatur. Illud verò, quod tranſit (cùm tales ejuſmodi micas pluſrimas habeat) infectum erit, potiſſimâ ſui parte, ſi non totaliter. Et, ſi ſanguinis maſſa potiſſimâ, aut totâ ſui parte, Tartaro ſit infecta; ergo etiam poterit obſtruere principium carotidum, ut & aliarum omnium arteriarum initia; hinc circulatio ſanguinis in corpore ceſſabit, & mors repentina ſequetur; quare nullus Hypochondriacorum poterit vel uno menſe vivere; quia in illo ſpatio obſtructio cæliacæ poterit fieri, poterit & aliarum; ideóque tùm neceſſariò, circulatione prohibitâ, homo morietur; vel ſi ſola cæliaca, ad hoc malum damnata; peto, mihi id demonſtrari; quando. & quomodo, & â quo, ſic diſpoſita; Ex his omnibus, me eviciſſe puto; obſtructionem, in principio arteriæ, neq;
 ſuc-

successivè, neque instantaneè, ergo nullo modò fieri potuisse.

SECTIO IV.

Vrget ulterius.

Sed, quid dicemus de osculo arteriæ sive de ejusdem fine ? omnia suprà argumenta allegata, huc militant ; & potissimum, quæ de obstructione, in medio, sunt dicta. Vel enim obstruet sanguinis grumus osculum, & tùm, ubi natus, quomodò, & undè advenerit, demonstrandum erat. Vel crassus erit sanguis, qui penetrare non poterit ; sicque tardior fiat ejusdem motus per hoc coagulationem subeat ; tum viscera, utpote ventriculus, intestina, lien, &c. fraudabuntur alimento ; marcescent, & emorientur ; quia aliunde illud, maximè ad lienem, venire non potest.

Tota arteria, crasso sanguine impleta, dilatabitur ; anevrisma contrahet, vel rumpetur, vel putredinem concipiendo, in pus aut vermes, aut scirrhos vertetur ; unde vel febres, vel tumor incurabilis, vel alia mala orientur ; hæc tamen ordinariè Hypochondriacis non accidunt. Iterum si sanguis crassus Tartareâ saburrâ plenus sit, qui finem arteriæ obstruxit ; tum vel tota massa sanguinis, erit

erit tali amurcâ, plena. & per hoc totius corporis œconomia pervertetur; partes, alimento defraudabuntur, spiritus vitalis corrumpetur, prout suprà dictum, circulatio desinet, hinc brevi mors sequetur.

Quod si verò, aliqua tantùm sanguinis pars infecta est, & tum, quid causæ, quod cæliacà hanc amurcam suscipere debuit? Cur non per carotides, ad caput, vel per crurales, ad pedes, vel alio transmissa? Quis ille determinator, qui illā intrare jubet in cæliacam, & non in alias? Stabitne ergo in principio ramificationis, & volentem transire, aut in aliam partem se vertere, huc aliunde avulsam, compellet intrare? Sicut talem directorem in corpore invenire impossibile; ità cogitare ridiculum, & dicere absurdum.

Demonstratum est ergo, non posse fieri obstructionem in fine arteriæ, sed pariter neq; in principio, neq; in fine, ergo nullibi, adeóq; nec Hypochondriaci mali, genuina causa, est obstructio; si quis obstructiones in venis admittere vellet, is pares, prout in arteria cæliaca, difficultates patietur. In glandulis mesenterij, & pancreate, fieri obstructiones, posse, non nego; sed illæ, symptomata Hypochondriaca, in æternum non producent Objicies. Natura studiosa sui conservatrix, sicut & alia excrementa per sua emunctoria, ità

ità & hanc fæculentiam per ductum Pancreaticum, in intestina ablegare solet, quo nisi mediante ramo arteriæ cæliacæ, qui in pancreas inseritur pervenire non potest, ideo facilè, ob suam crassitiem, in osculo arteriæ obstructionem faciet.

Respondeo vanum hoc esse effugium; nec dum enim compertus est verus usus pancreatis, & liquor, in ductu inventus nihil commune habet cum Tartaro, Salino Nitrosis particulis impraegnato, quia succus hic dulcis, aut insipidus est, & albicans, prout Warthonus p. m. 69. & seqq. docet; ubi etiam ad longum discurrit, hunc humorem per arterias illuc venire non posse, cùm valde sint exiles, & insufficientes ad totam sanguinis massam expurgandam.

Secundò, substantia pancreatis dulcis, & sapida recipere non potest tam acres, & salsos humores sinè dulcedinis suæ amissione. Cum enim ductus pancreaticus se per ramos in totam ferè substantiam extendat, in ijsdem contentus liquor acris, aut amarus, aut salsus etiam, glanduloso corpori communicaretur, cùm prius hic humor in corpus pancreatis, demum in capillares, tandem in ramos majores, & ultimò in ipsum truncum, sive ductum, pervenire debeat.

Sed dato, quod ille humor excrementitius

per

per cæliacam inductum pancreaticum tanquam vas excretorium sit delatus, sicque naturam ipsam esse directricem. Tamen per hoc nihil evincitur: militant enim contra coagulationem argumenta superius prolata sectione prima, ideo cùm sanguis coagulari non poterit etiam non obstruet. Neque dicas obstructionem sinè coagulatione à crassitie humoris fieri posse, quia utcunque crassus sit sanguis, semper tamen liquidus, semper per osculum arteriæ expelli poterit, secus coagulato evenit.

Dato tamen etiam per impossibile coagulationem, & obstructionem fieri, tunc sequentur ejusmodi mala quæ sectione secunda, & tertia sunt allata. Igitur licet concederetur Authori Tartaro Mastigis id quod in objectione protulit, non evasurum tamen ob supra dicta argumenta. Interea Warthonij sententiam accepto, huncque Authori Tartaro Mastigis multò magis expertum, & occulatiorem, senioremque Anatomicum præfero, neque pancreas hujus Tartari Mucilaginosi vas excretorium admitto, nisi evidenter Author demonstraverit. Quod ille in æternum non faciet, quia talem excrementitium humorem dari impossibile, prout totus meus libellus demonstrat.

SE-

SECTIO V.

Declarantur reliqua præsentis capitis.

EX his patet: Authorem, causam Hypochondriæ, ignorare, consequenter & curationem illius; cùm enim obstructiones velit tollere, quæ non dantur; necessario, curationem instituit ejusmodi, sicut ædificans domum super paludosum locum; putans se, pro fundamento petram habere, hinc quid de curatione dicam, non habeo; quia tota labilibus innixa principijs.

Vnicum addo, in sale Tartari volatili, gloriari Authorem; sed cum vana jactantia; quia in sua tota potentia, cum omnibus suis adjunctis, tantùm ipsi à DEO concessum non est, ut Salem Tarteri volatilisare possit; audivi vocem non rarò elatam, utinam sciremus salem Tartari volatilisare! Si ergo non scis, cur illam, absolutam Hypochondriæ curam asseris? Adeptorum est hoc donum, & Philosophorum realium, non blateronum.

Zwelferi, volatilisatio Tartari, non est volatilisatio, sed est destructio; sic eam appellavit Takenius, qui eundem processum, duobus, ante Zwelferum annis impressit, vocatque: in principia, seu aquam reductionem. Hinc,

Hinc, per tot iteratas distillationes, corpus salinum, fit aqueum, & nullius virtutis.

Alium modum, licet obscurè insinuat Polemannus; sed hic certè Authori incognitus. Debile ergo remedium, & effatum pro Hypochondria Moravica, invenit Author, nihil patriæ in hoc profuturus. Quæ de partium Anatomia recensentur, sunt provana jactantia, quæ ab alienis ab arte, non capiuntur, nisi ipsis, tota ferè medicina explicetur; â peritis, in arte medica, qui talia legerunt sæpiùs, & viderunt, ridentur.

Est autem talis mos pluribus, qui coram ignorantibus artem, omnes, tam antiquos, quàm recentes Authores, pro sua chymerica scientia, ut docti videantur, allegant; interea falsissimè & falsissima proferuntur. Quæret autem aliquis, cum obstructiones reijciantur, quid ergo erit causa affectionis Hypochondriacæ? Respondeo, fusè de illa egit Higmorus, qui in fermento Stomachi vitiato, fibrisque ejus relaxatis chylo malè digesto, & sanguine tenui, ac in fundo ventriculi restagnante, fæculentia acida, eam constituit; ad longum, & latum, obstructiones venarum, arteriarum, glandularum, mesenterij, & paneriatis, ipsiusque lienis, disputando, reijcit. Meum non est, huc transcribere ipsius dicta; legatur ipsius libellus.

Cu-

Curatio consistit, in elliminanda, è ventriculo limosa materia, fibris roborandis & adstringendis, fermento corrigendo, & sanguinis diathesi emendanda.

CAPUT II.

De Epilepsia.

Hæc non est propria Moravis; Austriacis, & alijs populis, frequentior. Quid sit: aut quomodo fiat; cum genuinæ, ferè omnium morborum causæ, lateant Medicos, difficile est asserere. Audiamus Authorem Tartaro Mastigis, quomodo insonter hic flagellet Tartarum; sic inquit: *Epilepsia est partis alicujus, vel totius non fixa convulsio, â Tartaro Mucilaginoso, Argilloso, Salino-Nitrosis particulis impragnato; & osculum arteriæ, cæliacæ, vel ramos ductûs Pancreatici, obstruente; concurrente simul acido vitriolico; effervescentiam excitante, â qua, principium nervorum vellicatur, constringitur, & expultrix irritatur.*

Explicat ulterius & dicit; *stagnans acidum, magis & magis acescere; & demum effervescentiâ concepta, per modum illius, quâ ex mixtione spiritûs vitrioli, cum sale Tartari oritur; vapores ad cerebrum, nervosum genus, petentes, & vellicantes mittere.* Hæc definitio,

tio, si cum affectionis Hypochondriacæ, superiori capite data, conferatur, prorsus eadem invenietur; nisi, quòd loco convulsionis hic nominatæ, loquatur ibi in genere, & ex illa effervescentia, varia induci symptomata asserat; quare Epilepsia, pro fundamento, sui, Hypochondriacam affectionem præsupponeret; quod tamen falsum est, quia infantibus, epilepsia communis est, non autem Hypochondria.

SECTIO I.

Examinatur sententia & oppugnatur.

Missis his, nunc ad rem. Pro claritate hujus sententiæ, in puncta eam dividam. Primò, dicit Author, obstructionem fieri arteriæ caliacæ. Secundò, eandem à Tartaro mucilaginoso, Salino-Nitrosis particulis imprægnato. Tertiò, arteriæ osculi, vel loco arteriæ, ramos ductûs Pancreatici obstrui. Quartò, concurrere acidum. Quintum, stagnans acidum magis acescere, & in vitriolicam aciditatem converti. Sextò, ad concursum acidi, cum Salino Nitrosis particulis, in separatione, fieri effervescentiam, non aliter, ac dum spiritus vitrioli, sali Tartari infunditur, & vapores emitti. Septimò, illos va-

vapores cerebrum petere; octavò, ibi vellicare, & irritare, nervosum genus.

An hæc veritati consona sint, examinando singula puncta, sequentibus videbimus. Primum & secundum punctum, capite præcedenti totaliter annullatum est. Vt autem, reliqua etiam falsa ostendantur, quæ sponte ruunt, fundamento (quod est obstructio à Tartaro Mucilaginoso Salino-Nitrosis particulis imprægnato) concidente, admittamus per impossibile, primum & secundum punctum. Tertium discutiemus inferiùs. In quarto non immeritò quæritur, an acidum concurrens, aliunde advenerit, vel in osculo arteriæ productum sit? Si aliunde advenit, tunc illuc, cùm sanguine vectore appulit; prius igitur in corde fuit. Cùm autem omne acidum, extra ventriculum, juxta saniorum Medicorum experientiam, præeunte Helmontio; inimicum, in vasis sanguinem coaguler, & animal occidat; hanc suam vim prius in corde, & porta, cæterisque ramis ostendisset; quàm ad osculum arteriæ cæliacæ pervenisset. Citiùs igitur mortem accelerâsset, quàm ad osculum arteriæ cæliacæ, perduci potuisset; non potuit ergo, salvâ vitâ animalis, vectore sanguine, aliunde acidum fuisse adductum; sequitur nunc, quòd productum sit, in osculo obstructo arteriæ.

Sed

Sed hoc etiam falsum est; quia à Tartaro Mucilaginoso, Salino Nitrosis particulis prægnante, secundùm Authorem, facta est; ergo obstructio, non ab acido; cùm enim acidum, sit sal acidus; ille, vel ex sanguinis, vel Tartari salibus, factus est; non ex posterioribus, quia Nitrum, & Sal, acida fieri, non possunt; & si fiant, non erunt amplius Sal & Nitrum.

Si autem, id evenerit, siquidem acidum, cum Nitri, & Salis particulis, ebullire debeat, hìc fieri non poterit; quia Salino-Nitrosæ particulæ, versæ sunt in acidum; acidum autem, cum acido, non ebullit; ideo nulla hìc, sequetur effervescentia; per hoc nec vaporum emissio. Non etiam stante adhuc, Tartaro immutato, ex sanguinis salibus, quia nihil assignari potest, quod id effecisset; non ipse Tartarus; quia ille, secundum Authorem, acidis contrarius propter ebullitionem cum ijsdem salem sanguinis, in acidum mutare non potuit. Non aliqua alia causa assignatur; ergo nulla.

Cum igitur acidum, neque aliunde advenire potuerit, neque inibi natum sit, concurrere in productione Epilepsiæ, consequenter non potuit. Quare etiam falsum est punctum quartum.

Hinc facilè ad quintum respondebitur, non potuisse scilicet acidum, in sua mora,

magis acescere; quia nullum ibi, prout dictum est, potuit generari. Dato etiam hoc impossibili, & absurdissimo, esseque in obstructione ipsa, Mucilaginosum Tartarum, Salino Nitrosis particulis impraegnatum; sicque contra jam factas demonstrationes, admisso puncto sexto, non potest tamen subsistere punctum septimum, & octavum: nam nullâ experientiâ in aeternum probabitur, Nitrum aut Salem, vel ambo simul mixta cum spiritibus acidis ebullire; neque in ipso Tartaro id eveniet, quia naturâ suâ est acidus: si enim spiritus Vitrioli, seorsim, vel simul sumptis, Tartaro, Nitro, Sali superfundatur; nullam ebullitionem deprehendes; quod omni momento est demonstrabile; ergo, si non fiat extra corpus, non fiet & intra, nisi disparitas assignetur; & probetur.

SECTIO II.

Objectiones solvuntur.

SEd obijcies, Tartarus se habet per modum Salis Tartari, & Salino Nitroso particulae; ad instar salis alkali volatilis, ergo ebullitio fieri potest. Haec objectio futilis; nam sic eluditur facilè; quia Sal Tartari pulsu, ignis potentia & magna vi spiritibus, est productum; talis autem potentia, in corpore non datur; ergo tale Sal, ex Tartaro, ab Authore descripto, in corpore humano fieri non potest,

Sal alkali volatile, ab aliis dictum: Sal salsum, genuinum sanguinis balsamum, ebullire quidem cum acido potest, sed ad illud acidum, in osculo hærens, propter obstructionem, quæ, ne sanguis novus affluat impedit, pervenire nequit. Dato etiam, quod perveniat, tum tantùm proxima pars, acori vicina, ebulliet, simulque eam destruet, & obstructionem aperiet: alkali enim, acidum destruit, & in aliam convertit naturam. Quare solùm momentanea, fiet ebullitio, & innocua; sicque solutâ obstructione, nullâ medicinâ indigebimus, neque epilepsia, inde generari poterit: nam vapores inde acti, cum cerebrum petere non possint, neque amplius naturæ sint acidæ; ideo cerebrum & nervorum principium vellicare nequeunt, adeóque Epilepsiam, quæ secundùm Authorem, à vaporibus fit acidis, non producent.

Illos porro desinere, & cerebrum impetere non posse, tametsi remanerent acidi, facilè probatur: cum enim vapores illi (datâ etiam per omne impossibile, maximâ ebullitione sanguinis) vel per ramum cæliacum, versùs aortam regredi, & cor intrare debeant, vel in venam sociam, cum sanguinis motu ingredi; & per hepar in cor ascendere (alium modum circulatio sanguinis non admittit) neque si tunicas arteriarum, transudare dicas

mesenterium, & reliquas ibi existentes, corporis partes, penetrare poterunt, & siquid modici per fibrillas nervorum, sexti paris, ad cerebrum pervenire posset, illud in itinere suo, in aliud ens, cum mutaretur, & destruetur, prout inferiùs videbimus; sequitur, illas ad cerebrum pervenire non posse: nam vapores, contra sanguinis impetum deorsum propulsi quomodo ascendere poterunt, quin sanguinem secum repellant; vel cum major ejus sit potentia, non retrudantur iterum? Itáne ipsis, contra torrentem niti, est concessum? Itane minor potentia, superabit majorem? Hoc dicere, est quid impossibile admittere; & admisso hoc impossibili, si vapores, ad cor pervenerint, & inde cum sanguine ad cerebrum facilius demum propulsi fuerint, nonne cum acidi sint, per illam totam viam, cum sale volatili alkali sanguinis, magis & magis ebullient & quia, quò magis acidum cum alkali ebullit, eò magis destruitur, & in salsum mutatur, immutabuntur in aliud? illóque tempore, excitatâ priùs febre, in cerebrum deducenrur, prorsus acore suo privati, & cerebro non inimici, sed amici? Quomodo ergo tunc, principium nervorum, vellicare poterunt? Quis unquam observavit febrem, antequam epilepsia hominem invaserit, nisi tunc, quando morbus

sym-

ymptomaticus ex febre factus est? Ergóne lorum vaporum, ex particula obstruentis 'artari enatorum, tanta erit copia, ut per eactionem, tantæ copiæ sanguinis, acidam uam naturam retineant, & non corrumpant inguinem, illum coagulent, & mortem acelerent? Verum, contra tot impossibilia, ıâc sententiâ nihil absurdius, & magis fatuè ı medicina dictum est. Plura non addo, quia iihi imaginor, in re, per se nulla & falsa, ot superfluas demonstrationes facere me atis.

Si per venas dicantur ferri vapores, quia x vena portæ, per hepar, in cavam, & deıum in cor necesse habent pergere, quales on alterationes subibunt in hepate, in coris ventriculo dextro, in pulmonibus, in coris ventriculo sinistro? Adhucne per illam bullitionem, in sanguine putas remanere :idum, & interea ab acore illo, non coagundum sanguinem? Desunt mihi verba, ad ım inanem sententiam perstringendam.

SECTIO III.

Oppugnatur sententia ulterius.

Am ergo vidimus punctum septimum etiam esse falsum. Sed quid dicemus de puncto octavo? Falsum & illud est, &

 spon-

sponte ruit, pereunte septimo. Sed admisso etiam per impossibile septimo, quomodo vapores illi, nervosum genus, vellicare poterunt, cum amplius non sint acidi, sed salsi? Misceatur enim acidum & alkali, fiet quidem ebullitio, at vapores illi non sunt acidi, teste experientiâ sed salsi; per hoc, nec cerebro, nec nervis, nec ulli parti inimici, ideo nervos, & membranas vellicare non poterunt. Fiat experientia, cum affusione spiritûs Vitrioli, in salem Tartari, & veritatem demonstrabit; punctumque octavum falsissimum evincet.

Jam falsum est demonstratum punctum 1. 2. 4 5. 6. 7. 8. Punctum tertium, illud planè est impertinens: si enim ductûs pancreatici, rami obstruantur, & fiat etiam ebullitio, quorsum ibunt vapores illi? Si in sanguinem, aut hepar, fiet ipsis, quod de prioribus dictum est; & quomodo ibi acidum, ex Tartaro generari poterit, cum in puncto quinto, id fieri non posse, demonstratum sit? Quomodo aliunde adveniet, quin patiatur easdem difficultates, quæ in quarto puncto sunt ostensæ? Quomodo obstructio fiet â Tartaro, cum ab eodem, capite præcedenti, impossibile fieri posse, sit ostensum? Ecce, etiam punctum tertium falsum est: ergo tota doctrina falsa.

Mi-

Miror ergo quomodo talis thesis, quæ in rerum natura non existit, potuerit adstrui. Si ergo Epilepsiæ essentia, non penetrata est, quomodo eadem, curari poterit? Vanum est multis de cura agere; sufficit eversam sententiam, per hoc & curationem: pereunte enim principali, perit & accessorium.

SECTIO IV.

Solvuntur objectiones.

DVbitabit aliquis; acidum sudorem, multi qui sunt sani, exspirant, ergo acidi dantur vapores; qui non sunt mutati in salsum, & à natura sua destructi? Respondeo, aciditatem illam, esse valde remissam, & dilutam: si enim Chylus non perfectè, extra ventriculum immutetur, retinet aliqualem aciditatem, eamque valde remissam: qui deinde per lacteas, in receptaculum, inde per ductum thoracicum; in axillarem impulsus, miscetur sanguini; sic mixtus, in cor, ex illo in arterias, tandem in totum corpus distribuitur; interea valde modicè cum sanguine ebullit; non aliter, ac siquis spiritum vitrioli, valde dilutum, misceret sali Tartari; in illa fermentatione impatiens Archæus, protrudit in capillares, sicque in poros cutis, non vapores illos, qui ex effervescen-

tia oriuntur, sed ipsum liquorem acidiusculum, qui necdum cum sanguine ebullivit, ideoque irritatus, ab illa modica adversitate, totum illud, tanquam sibi hostile, liberando cor, & majora vasa, unâ vice per sudorem expellit.

Hinc vapores non sunt acidi, sed sudor, qui lympha sanguinis est. Aliter se habet, in allegato Authoris acido, quia illud non eijcitur, sed tantùm vapores, ex mixtione mittit; quos acidos, non posse esse demonstratum est. Aliter etiam est, in casu illo, quando nimia aciditas, ob quam sanguis coagulatur, sanguini miscetur, tunc quidem acidi, unà cum salsis exeunt vapores; ideo scilicet; quia ipsum sal balsamicum, sanguinis corruptum est, & is ultimus conatus naturæ est.

Obijcies: Infantes plerique non sudant acidum, sed exhalant, ergo vapores in fermentatione non immutantur, sed manent acidi. Respondeo, habitum externum infantum, adhuc plenum esse alimento, in utero concepto, quod morâ suâ modicum acescit, & illud ipsum est, quod corpusculum infantis; in utero ambiebat. Quare â calore infantis extra uterum positi, cum tam citò ob viscositatem difflari non possit, & adveniens alimentum, aliqualem rursus contrahit labem, & modice acescit, sicque tam diu cor-

pus, acidum exſpirat odorem; donec totum illud miaſma expellatur; & tum, infantum corpora, non ampliùs ſpirant acidum.

Et licet acidiuſculam lympham admitteremus; tum tamen odor, non vaporibus, ex fermentatione ortis, ſed lymphæ ſinè fermentatione exſpiranti, adſcribendus erit. Et certè, ſi Authoris ſententia eſſet vera, ejusmodi infantes omnes eſſent epileptici, quia & caput acidum odorem exhibet; quod tamen eſt falſiſſimum; plura addere eſt ſupervacuum.

SECTIO V.

Examinatur ulterius præſens Caput.

QVid autem ſit Epilepſia, traderem hic libenter, aſt parvitas libelli, ut ſim prolixior, non permittit; qui morborum theorias ex fundamento erutas, alio libello ſi DEO placuerit traditurus ſum: dicam tamen breviter, fieri illam à vaporibus acidis, ſed potiſſimùm à ventriculo prodeuntibus, qui ſicut per nervum ſexti paris, orificio implantatum, penetrare facillimè in cerebrum poſſunt; ità & illud vellicare; non tamen pro veritate omnimoda, hanc viam aſcenſûs teneo, eſt enim mihi alia cognita;

tamen sentiendo taliter, diversus sum ab Authore, sicut cælum à terra.

Sufficit, medicamenta ad epilepsiam, proficua esse illa, quæ sale volatili abundant, non tamen omnia paris virtutis, quia illud sal volatile, non eodem modo, cum alijs particulis, mixtum est in uno, sicut in altero subjecto. Quare delectu opus est.

CAPUT III.

De Colica.

HAnc Moravis frequentem, quotidiana demonstrat experientia. absque dubio causatur ab inordinato cibo & potu incolarum; potus imprimis, insalubris est, ob variam mineralium in aqua mixturam, unde varia producuntur symptomata; Hæc tamen potissimùm in districtu fiunt Brunensi, alibi, Moraviæ terra salubrior est. Hic rursus, Tartaro-Mastix, cum suo Tartaro prodit; eumque in causam assignat colicæ, torquet òmnia mirabiliter, & confundit.

SECTIO I.

Definitur sententia, examinatur & oppugnatur.

AVdiamus illum tamen: sic inquit. *Colica est dolor intestinorum, nunc vagus, nunc*

nunc fixus, vehemens, ortus à Tartaro Mucilaginoso Salino Nitrosis particulis impragnato.

Ampliat definitionem, & dicit *Tartarum Mucilaginosum intestinis adhærere, ut stimulum bilis non sentiant; hinc excrementa hærent, flatus producuntur, qui distendunt intestina, vel tunicis insinuando se, dolorem difficulter curabilem inducunt; vel in tophaceam materiam, illa excrementa, ob moram convertuntur, vel valvulam intestinorum obstruendo bilis exitum præpediunt; unde magnum dolorem concitant; hinc facilè inflammatio intestinorum sequitur, per quam valvula corrugatur, exsiccatur; intestina crassa, motu præpostero sursum trahuntur, fitque stercoraria ejectio, & dicitur Iliaca passio.*

Colicam, dolorem esse, plùs quàm notum est; nec in dubium vocari debet; sed causa assignata, mihi suspecta videtur: Tartarus enim, cùm sit mucilaginosus, licet sit Nitro & Sale impregnatus, nihil tamen intestinis nocebit: quia tunicas intestinorum, ne sensum à bile percipiant, quamvis impediat, perque hoc excrementa stagnent, siccentur, flatus producti, intestina distendant, non tamen orietur inde dolor colicus, sed talis, qui à flatuum aqueorum fit distensione: nam ut dolor accidat, morsicatio accedere debet, quæ hic à vaporibus aqueis, fieri non potest:

Sali-

Salinos enim, debilis intestinorum calor, sublimare non potest; videmus, ad pellendos vapores salinos, magnum requiri ignem, è contra, aqueos igne B. ascendere, si dicas, adhærescentem Tartarum, suâ salsedine & nitrositate lancinare, repono; falsum, nec nervis, nec intestinis, teste experientiâ dolorem parere. Nitrum est anodynum, & contra colicam adhibetur; prout in castris, videre est; ubi milites, pulvere pyrio hausto, suam placant colicam; ergo illam producere non poterit. Dato tamen, quòd Sal & Nitrum, dolores excitare possint; cum Tartarus sit mucilaginosus, mucilagines autem, quascunque acredines (prout experientiâ probatur, & pleni sunt practicorum libri, qui herbas, & semina, ac radices mucilaginosum liquorem exhibentes, pro colica præscribunt) demulcent.

Ergo Colica, non ab excrementis, non à Tartaro Authoris, prout est probatum, excitatur; ideoque allegata definitio Colicæ non subsistit. An per excrementa, denegari possit bilis exitus, magna est quæstio; ubinam id fieri poterit? In insertione ductus colidochi in intestinum duodenum? Ast ibi excrementa non invenies; quia chylus ibi est cum quo bilis miscetur, sed dato, quòd etiam id fieri possit; ergò bilis cùm effundi non possit, stagna-

stagnabit in vesicula, & potiùs in hepar, & sanguinem se diffundet; sicque inflammationem intestinorum, causare non poterit.

Quod si dicas, bilem in crassis intestinis ab excrementis detineri, ac tum inflammationem quoque fieri posse; non video: inflammatio enim, fit à sanguine puro, vel mixto, non autem â sola bile. Ast, unde huc, sanguis confluxit, quis illum, in intestina detrusit? Certè nullus. Quare, valvula corrugari non poterit; consequenter nec oriri passio Iliaca, non ergo bene, prospicit Author, Patriæ; cum naturam colicæ necdum intelligat, & tamen curare præsumat.

Si quis diceret, bilem in intestino colo stagnantem, intestina rodere posse; fors non â vero abluderet; sed Author impedire ait Tartarum, quò minùs acredo ab intestinis sentiatur; quia verò simpliciter allegat, & non probat, facilè dictum eluditur.

Curatio, sicut nihil speciale præfert, estq; corrasa, â Tartaro. Mastige ex alijs Authoribus, & nullis observationibus firmata, sic manet intacta; qui illam vult sequi, liberum esto, aliam oportet exercere praxim, ut colica in Paresim non desinat.

SECTIO II.

Colicæ vera generatio.

QVæres. Vnde ergo tu Colicæ causam deducis? Dico breviter; cum institutum meum, non patiatur novam hic cudere theoriam; solum examinare, & ostendere errores, distuli ejusmodi, in aliud tempus, quo praxis, multis experientijs fundata, veritatem alijs, & mihi aperiet; dicam tamen aliquid; & illam, ab acido, quod ex ventriculo, in intestina elapsum, neque immutatum, vel ilio, aut colo adhæret progenerari assero. Vnde dolor in intestinis concitatur, & si alicubi osculum arteriæ, aut venæ erodatur, profuso sanguine, aut ob dolorem, nimio afluente, inflammatio, concitari potest. Acidum autem Colicæ esse causam, experientia convincit; quia quæ acidum extrudunt, vel immutant, & destruunt, vel imbibunt, vel alijs particulis benignis, illud disgregando attemperant, hæc demum sunt, quæ possunt tollere Colicum dolorem. Potest etiam acidum, aliunde transmitti: solet enim bilis, in cystide â natura sua desciscere, & in acidam amurcam transmutari; quæ intestinis immissa, suo lentore acido, dirissimos parit cruciatus; & hæc Colica non cessat, nisi purificetur totus sanguis, solet enim statas observare

periodos, nisi omnia ejus, miasmata totaliter exturbentur.

An non & aliâ viâ, possit acidum, intestina vellicare, non dubito; quid si lympha, in vasis, intestina circumdantibus acescat? Nonne intestinorum tunicas externas, affusa, vel per apertionem, vel ruptionem vasis, lancinare poterit? Sanè optandum esset; ut, (cùm tam dirè, in corpora, hoc malum sæviat) in genuinam causam, & curationem inquiratur, & in paresim degenerare non permittatur; hoc autem, non magnâ verborum jactantia non Hippocratis, Galeni, Avicennæ citatione, neque ab elementis, per temperamenta, humores, partium corporis descriptionem, deductâ longâ oratione, sed re ipsâ præstare oportet. Humor amaricans aliquando acido viscosissimo miscetur, & tamen fiunt Colicæ Moravicæ, quæ plerumque in paresin desinunt, vel saltem sunt contumacissimæ.

CAPUT IV.

De Calculo.

Calculum, Moraviæ incolis, valde familiare malum, quotidiana nos docent exempla; qui non aliunde, quàm ex cibo, & potu (hæreditariâ dispositione non parum adjuvante) varijs impuritatibus scaten-

tente, generatur. Quæ autem illæ sint, bonum esset, si Moraviæ Medici olim jam hoc investigare, conati fuissent; ast nullus, qui manum labori admovisset, hinc effectum; ut nec præcaveatur, nec curetur hic morbus. Sufficiebat medicis, cum vulgo dicere, vinum Moravicum, de Calce participat; aqua, & omnia edulia, sunt plena Nitro & Calce; tales medici, astruentes ejusmodi chymærica dogmata, cùm præ vulgo, non plùs sapiant, cum vulgo curant ingens, magnumque nihil.

Curæ fuit non infimæ, zelanti pro Patria Tartaro-Mastigi, in calculi generationem inquirendi; qui medicorum aliorum, doctrinâ sepositâ, suam nobis tanquam verissimam, ad quam velut ad sacram anchoram, necesse habeant recurrere Moravi, patefecit. Sed metuo, ne tam parum, sicut ejusdem antecessores præstiterit; audiamus tamen quid dicat.

§. I.

Describitur Calculi generatio, & oppugnatur.

INquit. *Calculus est substantia solida, toto genere, præter naturam instar lapidis, vel tophi ex Tartaro Mucilaginoso, Salino Nitrosis particulis impregnato, mediante calore genita.* Causam ponit procatarcticam, *esculenta,*

lenta, & poculenta, copioso Tartaro mucilaginoso, lapidoso, Nitro abundantia, ob quod tonus ventriculi laxatur, hinc mala chylificatio, sanguis ejusmodi particulis, etiam impregnatur, unde ob vim diureticam, particulis illis insitam, ad renes pellitur, inibi stabulatur in cellulis, demum calore accedente, in tophaceam mutatur substantiam.

Sane, quomodo per hanc, allegatam caussam, generari possit calculus, non video. Primò, Tartarus mucilaginosus, nullatenus per venas lacteas (quæ non nisi succum instar lymphæ sugunt tenuem) penetrare posse, videtur; isque illarum potius, obturabit oscula, & chylo transitum denegabit, vel intestinorum tunicis adhærebit: si enim naturam mucilaginositatis, libeat perscrutari, & suctionem lactearum, per oscula valde minuta, imò poros potiùs exiguos, assensum ab omnibus facile merebor.

Sed demus, illum Tartarum mucilaginosum, ità in ventriculo attenuari, ut instar aquæ, limpidus sit, ac pellucidus per modum chyli, & scateat Salino Nitrosis particulis, tum calore Hypochondriorum, jam in tophaceam materiam, propter omnia requisita, antequam ad cor perveniat, coagulari incipiet; & amabo! Cur non in receptaculo chyli, cur non in corde, sed primùm in renibus

 nasci-

nascitur? Vbique ad calculum, omnia ab Authore requisita inveniunrur; nam Tartarus mucilaginosus, Salino Nitrosis particulis impragnatus, & calor, in omnibus antè dictis partibus adsunt; ergo ubique nascetur Calculus, ergo ad renes, jam natus Calculus adveniet; hic enim in receptaculo Chyli, vel ipso corde, generari potuit; nec excusabit mora, quia eandem tam bene in corde, ac in renibus habere potest, exemplo calculorum, in corde productorum.

Obijcit hoc ipsum sibi Author, & nisi obstet impedimentum, concedit ultra; ideoque in Hypochondriaca affectione idem futurum, nisi obstaret acidum, coagulationem impediens. Missam facio hanc disputationem, an coagulatio, ab acido, vel non, fieri possit, siquidem ex lacte, ab acido fit coagulum, ab eodem sanguis grumescit.

Interea, accepto distinctionem, & urgeo sic: ejusmodi acidum non invenitur in vasis lacteis, aut alijs calculosorum locis, ergo ibi erit coagulatio, priusquam materia, pro Calculo apta, renes attingat; nullum impedimentum, quò minùs id fiat, assignabitur; ergo ruit doctrina, quæ calculum hoc modo in renibus generare docet.

Sed forte loci dispositionem, impedire allegabis; sicque vesicam, & renes, natura-

lem

lem ad Calculum generationem, fortitos propones. Sed hanc, nullus in æternum in sanis renibus, & vesica probabit; aliàs omnes homines, quicunque sunt in Moravia laborarent Calculo, quod falsum est.

Quid hæreditaria dispositio, in renibus faciat, non est meæ intentionis, nunc perscrutari, sufficiat, hanc non omnes habere. Ecce quomodo, malè generari Calculum docet calore accedente, quem Medici præcipui, dicere noluerunt; sed potiùs in Spiritum lapidificum, causam reponere, quàm ejusmodi nugas mundo docto, & experto eloqui.

Attamen super omnem abundantiam concedendo, calorem veram esse instrumentalem causam (quod omnium absurdissimorum est absurdissimum) necdum generationis calculi, genuinam materiam proponit Author: nam etsi Tartarus Mucilaginosus (quale hoc sit monstrum nec explicat, nec scit fortè Author, obscurum per obscurum dicit, judicans satisfacere se intentioni, quando terminum à vulgo ignotum proponit) Nitro prægnans esset, Calculum minimè generare poterit: cum enim ex mente Authoris, Nitrum vi polleat diureticâ, sicque aliquando, ex sanguine, Tartareas illas impuritates præcipitet, quare & materiam pro calculo aptam, ex corpore & renibus deturbabit.

Hane virtutem habent diuretica omnia, & contra Calculum adhibentur, quare & Nitrum; nihil enim assignabitur, quod differentiam constituere possit. Imò Nitrum, Calculum frangit, & pellit, ergo illum non faciet.

Sed inquies; postquam Nitrum, præcipitavit illas Tartareas particulas, remanent aliquæ in cellulis renum, vel infundibuli, & tunc coagulabuntur. Respondeo, cum per diem sæpius bibatur, vel comedatur, omniaque per Authorem Nitro scateant edulia, quam primùm Nitrum renes attinget, mox in lithortriptica, materiam coagulationi subjectam, aggredietur, & eandem, antequam coaguletur, resolvet, & exterminabit; sicque calculus per nullam potentiam, hâc viâ generari poterit.

Sed inquies. Non poterit vis Nitri, diuretica illuc accedere Si hoc diceres, ignarum rei te fatereris; quis enim ipsi viam præclusisset? Quomodo ergo, primâ vice subintravit? Quomodo tua medicamenta Calculum frangentia, illuc pervenient? *Videat ergo universus orbis, quomodo hanc generationem Calculi nos docuerit Author Tartaro-Mastigis.*

Hypochondria, Epilepsia, Colica, Calculus, generantur ex Tartaro Mucilaginoso Salino-

lino-Nitrosis particulis impraegnato, sed quàm hoc falsum sit, superioribus capitibus, & hoc abunde est demonstratum.

Obijcies: si adsit Sal, coagulatio sequetur. Respondeo, cum sal vim incidendi, & resolvendi, prout capite primo dictum est, habeat, non poterit Tartaream materiam, coagulare in Calculum.

§. II.

Calculi materia & genuina causa exponantur.

QVid ergo erit Calculus? Magnae scientiae est Calculi naturam penetrâsse; quam mihi perfectè, non adscribo; malóque veram causam ignorare, & scire, aliorum errores exhibere, quàm meam ignorantiam, tam turpiter mundo demonstrare.

Vt tamen aliquam, de Calculo, lucem proponam, dabo unam experientiam. Accipiantur Calculi, cujuscunque coloris, vel magnitudinis, in frustra majuscula contusi, ponantur in retortam vitream; & fiat chymicorum more, distillatio; urgendo ignem, extillabit liquor, cum sale sublimato, quem suo liquori addes, & vase quàm optimè clauso, servabis, ne ob subtilitatem avolet, est urinosi saporis, non aliter ac spiritus urinae; atta-

men sinè fætore caput mortuum, sive remanentiam, cui, de figura, magnitudine nihil decessit: exime cautè, levissimam deprehendes, digitis in pollinem reducibilem, flatu, quo voles, propelles; si verò, antequam conteras hanc materiam, liquorem servatum reaffundas; tam durum ac antea, tam ponderosum, ut ante distillationem fuit, invenies calculum.

Vides nunc, mi Hertod, causam generationis calculi, estne illa Nitrum? Liquor hic (quo præsente fit calculus, quo absente in pulverem abit) non spiritus Nitri est, sed spiritus urinæ, qui à distillato ex urina, non nisi per odorem distinguitur.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Objicies: Nitrum in alimentum sumptum, cùm etiam sit sal urinosum, versum est in corpore, in ejusmodi spiritum. Respondeo, assertum hoc, sinè probatione adducitur, adeòque negatione simplici tollitur; & dictum suprà capite de Nitro, illud omnibus animalibus mineralibus, & vegetabilibus inesse, & in sua natura, coagulationem impedire; ideòque dato, quòd in spiritum urinæ vertatur; tunc non Nitrum calculum generabit, sed spiritus urinæ.

Objicies secundò: Spiritus urinæ, est diureticus, calculum frangit & pellit; coagulatum sanguinem dissolvit, sudorem facit, ergo coagulare, & calculum generare non poterit. Respondeo: Spiritus urinæ intro sumptus in stomachum, concedo; quia inibi, sub acido fermento, in salsum vertitur, sicq; aliam adeptus est naturam, per hoc, vim resolvendi, & calculum pellendi, eo modo scilicet, quo calculus intro sumptus, calculum frangit nactus est. Et ità, Nitrum & alia sale urinoso volatili, constantia, cum fermento ventriculi alterantur, & fiunt medicamina; quæ, si inalterata maneant, morbos producunt.

Objicies tertiò: Quid si in ipsa distillatione ex Nitro, in calculo latente, talis spiritus urinosus produceretur? Respondeo: idem deberet fieri, in alia distillatione Nitri, cum bolo, aut alijs rebus mixti; sed id nunquam accidit, ergo etiam in priori casu; quia Nitrum, ut Nitrum nunquam in distillatione, dabit spiritum urinæ, hic enim verus coagulator est; ità ut spiritum vini unà secum, in materiam quasi butyraceam convertere possit, & calculum generat; adde, quæ Helmont, de Lithiasi tractat, qui ex distillatione spiritum urinæ, calculi progenitorem agnovit.

§. IV.

Calculi generatio docetur.

QVomodo autem, illa fiat coagulatio, dicam breviter. Renum alimentum, vel vesicæ, vel cujuscunque demum partis, corrumpitur, varijs ex causis; sicque non assimilatum, facultate expultrice, illud excerni debuit; quod remanens, acorem contrahit: nam cum partes corporis potissimum illâ parte sanguinis quæ serum dicitur, nutriantur, illud vero, levissimo calore in gelatinam coaguletur, & paulò diutius asservatum acescit (prout me frequentior experientia docuit) jam tale alimentum, in cellulà aliqua, vel infundibulo hærens non assimilatum, contrahit per moram, acorem; superveniens, cum novo sanguine, chylus, eidem mixtus, saleque alkali volatili, sive urinæ, plenus, incipit agere in acidum, quæ mutuò se invicem ligant, & corpuscula, in quibus tam sal acidum, quàm volatile habitabant fortissimo nexu ad invicem ligant, per hoc indurant, & tophaceam, omnia simul, acquirunt naturam; si sola adsit viscositas alba; albi generantur Calculi, quod si sanguis intermixtus fuerit, rubri, unde, quando vi ignis, calculus obijcitur, cum se, ob intermixtionem

nem aliarum particularum, ambo salia, destruere non potuerint, sicque in salsum converti, cohærent sibi tantummodo ab extra, ideo pars volatilis, sive urinosus sal pellitur, & acidum cum reliquis particulis, in fundo manet retortæ, tanquam pars fixior, majori ad sui pulsionem egens igne: remanens calculus fit friabilis, & digitis conteribilis; cui si spiritum distillatum reaffundas, priorem duritiem recipit calculus; quia spiritus urinæ, rursus se ligat cum acido, & per hoc, particulæ reliquæ intermixtæ; duritiem tophaceam nanciscuntur. Ecce calculi originem. Insonter ergo, Tartarus flagellatur; vereor, ne ultionem sumat, de suo castigatore, & sibi congenitam infligat pœnam. Medicamenta allegata in hoc capite, non reprobro, sed nec approbo; si effectum assignatum habitura, laudem merebuntur: multi enim gloriantur de nescio quibus arcanis, ut homines, ob suum lucrum, pomposis verbis alliciant; sed cùm ad demonstrationem, & praxim venitur, arcana vilescunt, & morbus manet idem, qui antea.

CAPUT V.
De Arthritide.

ARthritis magis familiare malũ Austrijs, quàm Moravis, utriusque provinciæ ex-

pertus, facillimè conceder. Malum est grande, curatu difficile, arcanis Medicinis solum edomabile sed talia medicamenta cum rarissima, vel vix invenibilia existant, ità ut pœnam Dei dixère aliqui, vix non bene; ingluviei enim plerumque effectus est; Bacchi filiam, non immerito, ut & Veneris dixerunt Philosophi.

Sed, ut ut sit, Arthritis, est nomen universale, dolorem articulorum designans, habet sub se, multas species, quas brevitatis causâ omitto; definitur à Tartaro Mastige hunc in modum: *Arthritis est dolor, cum & sinè tumore, partes, articulos, constituentes, infestans, à Tartaro mucilaginoso; Salino Nitrosis particulis, impregnato, ortum ducens.*

Hæc descriptio, si locum, seu articulos, excipias; nihil differt, à calculi definitione, nisi quòd consulto omiserit calorem; quia sic calculus, fuisset potiùs generatus, non podagra; in omni enim loco, secundùm Tartaro Mastigem, calculus generari potest; ergo & in articulis, ubi adest Tartarus mucilaginosus, adsunt particulæ Salino Nitrosæ, calor naturalis etiam inest articulis, & nihil ampliùs, pro Calculo generando, requirit Author Tartaro Mastigis, ergo calculus, non podagra, generabitur. Nec excusabis, si in articulis, tophos generari, dicas, qui, dato, quòd sint spe-

species calculi (quod adhuc disputationem meretur) præcessit tamen Arthritis, & plurimi, sine tophis Arthritide laborant; quia adhuc aliquid, assignari necessum est, quod (ut Arthritis, & nonCalculus fiat) efficiat; atque hoc, ab Authore, est omissum, ergo definitio manca; vel si completa, tunc falsa. Ad acidum hic non confugiat Author, quia Hypochondriam in articulis generat, quod absurdum est.

Non diffiteor equidem, Arthritidis eandem quæ calculi, posse esse causam; sed diversus generandi modus est, & toto cælo diversus. Latuit hucusque genuina, causa podagræ, ut & Arthritidis, & adhuc aliquamdiu latebit; unde & remedijs, contra eandem caremus; multa quidem deprædicantur, sed pauca juvant miseros podagricos. Inventa tamen sunt, per Divinam misericordiam, dolorem illum sopientia remedia; unde & peritiMedici, mox in causam inquirentes, & contraria contrarijs, tolli debere scientes, invenerunt ultimò causam, alimentum articulorum infectum acido sale, sive ille ex corruptione, per fluiditatem, sicut acetum à vino, factus sit; sive aliunde advenerit in articulos; veriùs tamen est, illum generari in articulis, & per affluens alimentum, ab eodem corruptum augeri; sicque ob sui naturam, articulis, membra-

branis, ligamentisque insensissimum, potenter sibi subjectas lancinare partes; unde aliquando affluxus fieri copiosior, & tumor, ad absorbendum illud acidum consvevit; quando verò tota, illa materia, non discutitur, remanet fæculentia terrestris, quæ cum tempore, appositione augetur, sitque tophus, â calculo parum differens, nisi coagulatione minori.

Acidum, & Epilepsiæ, & Hypochondriæ, & Calculi, &Colicæ,&Arthritidis, causa est; non verò Salino-Nitrosæ particulæ: de alijs morbis, probatum superiùs; hic â juvantibus probatur: Quæ enim in Arthitide prosunt, sunt omnia sale volatili, aut alkali fixo turgentia, utpote urina aut potiùs spiritus urinæ, sp. Armoniaci salsus, camphora, lac cum medulla triticea, & croco, poma putrida, lixivium, sapo, hæc omnia acidis sunt contraria; non sali, aut Nitro. Cum igitur antè dicta tollant dolorem, qui fit â causa Arthitidis, illa verò ablatio fiat ob sui contrarij destructionem, hocque sit causa Arthritidis, & nihil aliud (quia salia alkalia nullum aliàs contrarium habent nisi acidum) ergo acidum, est causa doloris in Arthritide,& ipsius Arthitidis.

Procul hinc cum hisce imaginarijs Salino Nitrosis particulis, & desine docere hæc, quæ jam

jam pridem per experientiam falsa sunt inventa. Miror sanè tantam audaciam, tam temerario ausu, in proprio cerebro causas enatas mundo protrudere; certè vel Medicos Moraviæ stipites esse, vel stramen loco cerebri ipsis ingenitum, ab Authore supponi cogitari possit. Sed judicium ille expectet, à mundo erudito, qui lectis hisce, consequentiam faciet, quæ alicui non placebit; & hæc sufficiant. Concludo cum

Præservatione morborum Moraviæ.

IBi sinè alis volare, mihi videtur Tartaro-Mastix, ast in tenebris; oriatur sol veritatis, ut videat quò volet; sed vereor, ne nimam lucem, ob densissimas tenebras, effundere solum oporteat, unde præ calore, liquatâ cerâ, implumis fiat, & Icari fata experiatur. Vt â quinque enumeratis morbis præservetur Moravia, multum sudat Tartaro-Mastix, accepta bit eadem libenter, modo non verbis, sed medicamentis adjuvetur, & præservetur.

Affert primò arcanum Cedri Helmontianum, sed quis illud parabit? Helmont mortuus est, de nullo constat, qui illud sciret facere; de Tartaro Mastige est evidentia, quòd modus præparandi ipsum lateat; quia clavim (quæ

(quæ est Alkaliest quod post Helmontium vix aliquis habuit, summum adeptorum Arcanum) ex quo & qualiter fiat, ignorat. Qualem ergo nunc, præservationem à morbis habebit Moravia, si ejusmodi arcanum, nec emibile, nec à Tartaro-Mastige sit factibile? Concludat B. Lector.

Vnicornu Minerale Minsichti similes cum priori arcano patitur ecclypses; Zwelferus quidem illud parare docet, sed quia Zwelferiani Podagrici, Viennæ non sunt à podagra præservati, ideoque Moravis idem fiet; est & ergo hoc remedium, nondum patriæ proficuum. Kneuffelius suum arcanum non revelavit ulli; frustra hic adducitur sub ænigmate, quod Author resolvere non potest: Aurum enim, sinè corrosivo solvere, magnæ est artis. quam paucissimi adepai sunt, præstitit Kneuffelius aliquid in morbis Arthriticis, sed pauca sunt exempla, mihi de uno constat. In Polonia tamen, non est tanta ejus fama, qualis putatur, quid autem nos juvat, an Kneuffelius sciverit curare podagram, si nos non possimus? Missa faciamus ejusmodi auxilia, quæ à nobis parari non possunt; dedecori sunt potiùs, quàm laudi eadem alleganti, & per illa curare volenti. Jam vero propria arcana producuntur; examinemus ea paululum, an arcanorum nomen mereantur, & nos possint à tantis morbis præservare.

Pri-

Primum prodit Elixir Antimonij ad vitam longam, quod sic parat Author, Regulum Antimonij Martialem, in flores cum sale Armoniaco (vocat hunc salem volatilem duplicatum) sublimat & tum prodit rubicundissimâ veste amictus Mercurius Philosophorum, â multis quæsitus, â paucis inventus.

Miror tantam audaciam, coram mundo erudito præsumere, cui hæc operatio ludus est potiùs, hoc sublimatum ex Antimonio, Marte, Sale armoniaco, appellareMercurium, Philosophorum, si Philosophastrorum, Agyrtarum Pseudochymistarum, qui verbis, Arcana &Mercurium Philosophorū crepant; opere autem fumos vendunt, dixisset, rectiùs fecisset. Sed non admittet Author Tartaro-Mastigis talem sui salis volatilis duplicati, explicationem: malè enim audiret apud viros doctos; quid ergo? Si Sal Tartari volatilis ipsum non lateret, tunc crederem, at ut se magnum ostendat, alia nomina imponit rebus, quid sentiendum, judicet quilibet.

Hoc sublimatum edulcorari jubet Author, remanebunt flores Sulphuris, Antimonij, vomitum ingentem concitantes, quos intra corpus dare, sinè præparatione reformidat Schröderus. Ast inde tinctura per S. V. sale circulato impraegnatum (poterat dicere clarius Sale Tartari, cum hæ phrases jam notæ sint) extrahitur.

Quid

Quid singularitatis, hæc in se tinctura habeat, non video; per extractionem nulla Sulphuris, Antimonij, facta correctio, ideoq; ab illa, non expectanda majora miracula, quàm â vulgaribus tincturis, quæ datæ copiosiùs, sedes & vomitus cient.

Si edulcorati flores, more spagyrico essent fixati, indeque; per circulatum majus, tinctura fuisset extracta, tum Lilium Paracelsi adipisci poterat, quod virtutibns tincturæ superiori ante lucet, sicut aurum plumbo, si non luto. Hæc Paracelsi, non illa nova, commendata sit tinctura patientibus, quæ suppresso nomine, aliunde descripta, licet suas habeat dotes, assignatas tamen nequaquam. Si contrarium dicat Author, comprobet experientiâ sua dicta, & mutabo sententiam, ac veniam deprecabor.

Sed finis coronat opus, adest jam tinctura Regia, Arcanum tincturæ, opus consumatissimum, lapis Philosophorum. Ah! quàm beata est Moravia, cui tam miseræ, fortunis omnibus, ac opibus exhaustæ, Deus ingentia, Auri, & Argenti, submittit plaustra! Ecce, Saturnia redeunt regna, Aurum, & Argentum, in plateis jacebunt in copia, non aliter ac Salomoins tempore.

Jam lapidis Philosophici possessores Moravia nobis protulit, qui profiteri publicè, se tale

tale Arcanûm possidere, non amplius reformidant. Verendum ne D. D. Status Moraviæ id faciant, quod præterito anno, fecisse Venetos ad me perscripsit, litteris suis 31. Ianuarij Anno 1669. datis Admodum R. P. Kircherus S. J. Illi Doctorem quendam Bonvicinum, Paduanum Professorem, de lapidis Philosophorum se jactantem possessione, allocuti, jam ut Reipublicæ egenæ succurreret, auri summam conficiendo, sibique per hoc nomen immortale procuraret; sed ille, tenuitatis suæ conscius, tergiversabatur tam diu donec fraus ipsius, & superbia deprehenderentur, tum sibilis explosus irrisus, contemptus, seriò verbis castigatus, intra triduum vitam finijt, temeritatis suæ luendo pænas.

Certè magnum D. D. Statibus tulisset auxilium, si aliquot milliones, loco hujus libelli ijsdem obtulisset, ipse ego accurrissem, & à tam ter beato Philosopho stipem petijssem. Sed præstat, nec de his cogitare. Quod autem L. P. possidere se, aut saltem ejusdem scientiam perfectam, glorietur Author Tartaro-Mastigis, evidenter probo, hisce verbis p. 262. propè finem. *Estque ut aurum potabile, quòd ut vera tinctura fiat, cum Mercurio animanda erit, & Hermetice vitrò sigillato in Athanore decoquenda, usque ad finem omnium colorum, secundùm Philosophorum doctrinam,*

sed hic jubet Plato quiescere, volenti plura loqui, silentium indicitur.

Ecce modus tincturam conficiendi; ergo lapidem Philosophorum, qui secundùm omnes Philosophos, nihil aliud est, quàm pulvis tingens in aurum metalla, ejusdem est virtutis tinctura, in re idem utrumque, nisi quod dupliciter nominetur.

Plaude ergo Moravia, beatam te æstima, quia tibi Fortunæ dabitur bursa asylum pauperum, promuscondus, auri fodina indeficiens apud Authorem Tartaro-Mastigis invenibilis, hic suis thesauris innumeris poterit succurrere Patriæ.

Ne verò decipiamur, vel in vanum speremus, videamus paulò, quid sub hac tinctura lateat. Sed sub ænigmate proponitur arcanum, ædipum nobis quis procurabit? Confidens Deo, spero me huic sphingi responsurum. Menstruum solutionis auri, ex lunaria petitur, non autem Botrytide, sed aliquâ Lullianâ mirabili, hujus succus distillatur in sp. spiritui additur oleum, calcinatur Aurum & extrahitur Sal more spagyrico, fiat nunc volatile fixum, & vicissim; ut docetur, & fiet inde Sal. qui est clavis ad resolvendum aurum in primam materiam, quem adhuc ulterius secundum modum propositum præpara, & nancisceris aquam siccam, non madefacientem

rem manus. Infero ego, ergo Mercurium Philosophorum: hic enim secundùm illos solus est, vera clavis reserandi corpora metallica, sed in priori Arcano etiam Mercurius Philosophorum, est factus, longè ab hoc diversus, & mirabile mixtum; quis ergo nunc verus erit? Si prior, tunc hic falsus; si idem genuinus, ergo priore falsò, mundum dementare intendit Author; unus enim apud Philosophos est eorundem Mercurius, non duo: ego, ut verum fatear, neutrum dico Mercurium Philosophorum.

Jam ergo Sal in proprio sp. solvitur, & ex Auro per Mercuriũ calcinato tinctura educitur, abstracto sp. remanebit in fundo lapis rubeus, qui per Mercurium animandus, & in tincturam, seu lapidem Philosophorum coquendus. Deus bone! quantum arcanum! Quænam illa Lunaria? Quàm optanda ipsius cognito! Cùm Tartaro-Mastix â Platone sibi quietem imperari dicat, & silentium imponi, sicque suam Patriam celare vult, tantâ felicitate, corrigam ego ipsius invidiam, & aperiam, & patefaciam arcanum.

Sed quid esse putatis? Ne vos detineam, vinum accipite vel Moravicum, vel Austriacum. efficacius est Vngaricum, adhuc melius Hispanicum, Creticum, &c. procedite cum eodem, sicut vos Author docet, invenietis

Arcanum, arcâ detinendum, quia in nullum usum adhibere poteritis; hoc, ut cum Mercurio animetis, & in tincturam, secundùm Philosophos coquatis, jubet Author; qui vult sequi, postquam ad finem pervenerit, inveniet ingens, magnumque nihil, & dilapidando omnia, pro lapide, lapidem renum, melancholiam, & maniam exspectandam habebit.

Procul estote Agyrtæ, Alchymistæ, Fumivenduli, ceniflones, procul â sacra spagyrica arte profani.

Conclusio.

HIc vides amice Lector, quàm arduum sit, de rebus medicis scribere, aut aliquid, nisi ratio firma, in experientia fundata suffragetur, decernere, melius â librorum scriptione abstinere, quàm suam ignorantiam toti mundo revelare. Hæc est causa, cur multi viri docti libros Medicos scribere vereantur; antiquam crambem recoquere, odiosum est, & plurimi, ab ostentatoribus scribuntur ejusmodi libri; novi aliquid, ut edatur oportet; & priùs bene sit examinatum, per multas experientias probatum; ad quod tempus, anni, sumptus, otium, judicium maturum, & industria magna requiruntur. Hæc omnia simul sumpta, non omnibus suppetunt.

Si

Si quis autem, præcoci ingenio turgens, volare cupit, & necdum cocta proponit edulia, eijcitur unà cum crudis dapibus, & castigatur Mastige; abunde omnia in Hertodiano Tartaro-Mastige examinavi, veritatem rimatus sum, & demonstravi, falsitatem ob oculos posui, ut B. L. â præpositis erroribus divertatur; liberum esto, falsitatem, vel veritatem, cuilibet amplecti.

Scio, osores habiturum me, plurimos; ast illos nihil curando, dulce mihi pro veritate pati; hæc, ut solet, licet depressa aliquamdiu, tandem triumphabit, & inimicos in confusionem datos, in triumphum ducet

De morbis, theoricas ponere, non volui è fundamento deductas, quia libellus in tomum ingentem excrevisset; sufficiat interea inseruisse quasi per umbram, theoriam veram, quam aliquando, si Deus otium, vitam, sumptusque largitus fuerit, ex genuinis anatomicorum, & Philosophorum fundamentis deductam, ut & praxim, postquam multis experientijs, eandem confirmavero, in lucem dabo. Interea B. L. tempus illud, mecum exspecta, hæc paucula de morbis inspersa pondera, & judica; sicq; tandem ama, & vale.

F I N I S.

Errata

Errata passim observata.

Pagina 7. Linea 5. deprehendit, lege deprehendet. pag. 12. lin. 24. color, lege calor. pag. 13. lin. 2. lege contra Tache: neque acidum neque alkali. pag. 18. l. 22. anguitum, lege angustam. pag. 22. lin. 6. in deleatur. pag. 24. l. 8. refluᶜtuntur, lege reflectuntur. p. 34. l. 22. folet, lege solet. p. 50. l. 15. Catalephticum, lege Catalepticum. pag. 50. l. 25. Doctoris, lege Driff. pag. 53. l. 10. 14. 18. abjectis, lege abjetis. pag. 54. l. 3. Gigatis, lege Gagatis. pag 55. lin. 2. ducenda, lege docenda. pag. 56. lin. 9. mec, lege nec. pag. 59. lin. 18. permittent, lege permittunt. pag. 66. lin. 13. antiphysicam, lege antiphtificam. pag. 90. lin. ultima, exerementius, lege excrementitius. pag. 92. l. 15. sna, lege sua. pag. 94. lin. 1. veutriculo, lege ventriculo.

DISCURSUS BREVIS
SUPER
OPUS MIRIFICUM
Sextæ Diei,
JOANNIS FERDINANDI
Hertodt Med: Doctoris,
Factus
à
VVENCESLAO MAXIMILIANO ARDENSBACH,
Philosophiæ & Medic: Doctore.
M. DC. LXXI



PARS PRIMA.



Ominem, in quo Divina Majestas finem creationi imposuit, sexta dies Creationis exhibuit universo. Sanè consummatissimum opus! Ast bonum esse, non placuit attestari Creatori: vel quia similitudo omnis boni etiam bona foret, vel quia homo per suum liberum arbitrium priùs operari debuit bonum, ut fieret bonum. Admirandum Dei opificium homo est! Cujus vel minima laus est, vocari aut esse microcosmum. Hoc enim commune habet cum omnibus animantibus, etiam cum minimo pulice. In hoc invenies planetas ac sidera, orbes, suas & ille habet intelligentias, ut extra archetypũ quod est, in eo totum inveneris. Contemplati sunt hoc divinum *per Aristotelem* animal, *per Helmontium* Divinam Imaginẽ Varij, multisq; laudibus extulerunt: quilibet pro suo genio & ingenio, captu, & conceptu. Noviter accepimus opusculum sextæ diei, in quo quantus esset Orator, demon-

monſtrat Autor: ità ut ſi illud laudibus non eſſe dignum exclamarem, falſum dicerem, neque ſolùm in Ethicam verum & in veritatem peccarem. Hic tropos, figuras, luſum in verbis, hícque omnes argutias deprehendes, encomia microcoſmo digna invenies, flores denique Eloquentiæ ex cornu copiæ effuſos amabis. Seria quoque, velut Phyſica & Medica, nè putes oblivioni data. Verbo, nihil omiſſum, quod Homini appropriari, aut de eo dici concipíque poſſit. Quia verò ſeria facetiis ſunt obruta, eaque altiorem, quam Rhetoris eſt, ſcientiam ſpirant, ínque ijs non conveniunt Medici, placuit ad calcem hujus diſcurſus eadem diſcutere. Interim & meos immiſcere ſales, & allatas facetias per partes conſiderare non erit incongruum.

I.

CErebrum *Regiam Solis* vocari audio. Sed &, *Regem* nominare placet. Jam ex aula evadit in *Mundum*, & nobis trium Cœlorum orbes ob oculos ſiſtit. Sed ſi pericranium omiſſum non fuiſſet, præter *Cranium, duram & piam Matrem*, quatuor Cœlos habuiſſemus. *Empyreum dura Mater eſt, & ſtellæ cogitationes*: aſt cogitationes in membranis cerebri fieri, nullus unquam poterit

 demon-

demonstrare. Intellectionum sedem *piam Matrem* hîc esse placet; sed jocosè dici posse fateor; quod non seriò, inferius agetur. Aula *vigiles* amat, *armamentarium* servat; *sinus quatuor* si vigiles putes, armamentaria non dices; & si armamentaria, quæres alibi vigiles. Vigil pro omnibus Cœlum, si tres Cœli cerebro cum Intelligentiis? frustrà vigiles sunt Intelligentiis debiliores. *Nec Salomonis clypeos, Trojanas nec ex ubias* petieris, quando pro te indefessæ vigilant Intelligentiæ. Miraberis autem, quòd jam ex aula fiat *solium & thronus quadrigâ* vectus, si præter Memoriam, Intellectum, Imaginationem, Apetitum, sensum communem à Medicis requisitum addas, eúmque summè necessarium, quinque rotas deprehendes, nisi apetitum aut Imaginationem in sensum communem velis convertere: at non succedet. Quadrigâ sic dicta vehitur Rex, qui intelligendo fit omnia. Non vellem ego dici hoc de Imperatore Turcarum, alias & bos & stultus fieri deberent. Proteus ultimò videtur esse Cerebrum, inque orbem conversum. *Centrum habet ubique, circumferentiam nusquam, nisi in DEO.* Placet conclusio, sed displicet confusio. Cùm enim hujus circuli centrum sit ubique, & Deus etiam sit ubique, circumferentia verò, ibi, ubi Deus, erit & hæc ubique. Erit ergo centrum,

 137

trum, & circumferentia loco uno, ac eodem. Admirabilem Mathesin! sanè Deum solum agnoscimus esse hujusmodi circulum, quin in se ipso totus est, tanquam in centro, & ubique in se ipso, ubique effusus in circumferentiam Nollem ego cerebrum pro Deo adorare quem Creatorem cerebri esse agnosco & veneror.

I I.

OCuli, *Mundus amoris*, ast immundus apud multos; toti prostant universo, & illis venditur microcosmus, & qui imo intrinseco sui infernum non habebat, postquam sit immundus totus, fit infernus. Verè tùm non mundum, sed mare mortuum dixeris, amoris scopulos. *In soles* jam ex scopulis mutantur. *Cælum duos* pati cogitur. Monstrum sanè & mundum esse solem, & in mundo duos soles, sed amantibus hæc monstra familiaria, quibus etiam monstrum putatur esse formosissima rerum imago. Ego oculos Excubitores appellarem, qui pro salute totius Microcosmi excubant. Ast illi pigri detrectant militarem baltheum, malunt servire Veneri, & amori dare sedem. Amor trahit omnia, in oculum influunt omnia. Totum universum unico obtutu est in oculo, sed etiam in speculo. Oculus ergo & speculum sunt amo-

ris ſedes, idem amanti repræſentant: ſed quàm fragile hoc, ità & ille caducus eſt. Pupilla *centrum oculi, & quidem mobile.* Non dicerem ego, quia facile motâ fieret amor luſcus. Pupilla creſcit in *ſolem.* Sol corpus globoſum, pupilla foramen rotundum: ergóne foramen obſcurum Sol erit? Et ſi Sol? Oculus autem mundus? tum Sol in centro mundi poſitus Copernicanam producit ſententiam.

III.

Aures *Mundus Pythagoricus.* Bonus Pythagoras, qui mundum fugiebat, in mundum excrevit! ſuppono, quòd non ejuſdem aures, aliàs major Pythagorico mundus fuiſſet Midas. Sed quare bonus Pythagoras aures in mundum creavit? quia ſilentio delinivit eaſdem, aſt Epicurus carminibus obſcæníſque verbis, converſatione impudicâ: ergo & aures ſunt Mundus Epicuræus. Ego aures in mundum non evexiſſem quia his nihil cum eodem commune. Cœli muſicam edant, verùm aures quando muſicam edunt auditum obtundunt; ſic qui tinnientes ſtrepentes, murmurantes fluctuantes aures habent, minùs audiunt & deterius: ſic ſonantes præter naturam aures Muſarum (ſed diſcordantiâ ſi quis dicat, non errabit) antrum erunt. Mundus

dus Pythagoricus omnem excludit musicam intrinsecam, auscultant solummodo advenienti ab extrà sono. Cui aliquando Musa in casta & impura se ingerit, si auscultarent aures ad tubæ magnæ sonum, deponerent certè *amorem* de *sede* & fierent cœlum Beatorum, non viatorum, qui transeuntes evanescunt.

I V.

NAsus. *Capitolium* se factum miratur nasus, imò & *turrim Libani*. O nasuti, quis nunc à vobis erit in via tutus, nè in ipsum impingatis? Nescio, puto tamen mundum fuisse Capitolium Romanum; quomodo ergo jam Nicotianæi subsistent? Moris erat in Capitolio quotidie thus adoleri, ast hic nescio quibus odoribus recreabitur Jupiter, sanè Olidum *tribunal*! Sed odor ejusmodi temulentum addet Judicem, minúsque potentem discernere odornm causas, quomodo ergo tum subsistet Judicium? Verùm in vestibulo solùm Augiæ stabulum invenesis, interior Judicii locus purus & mundus est. Processus mammillares duri extrà cranium, non permitteut illas fuligines & uligines penetrare ad intima. Nolim tamen ego dicere, odores in Judicem nactos esse processus mamillares, aperiet dubij causam pars secunda.

 V.

mum moriens? Vivunt animalia aliqua per tempus aliquod exempto corde, & corde non pulsante amplius in animalibus, adhuc in venis trepidat sanguis. Ergo sanguis primum erit mobile, prout etiam numero tertiodecimo asseverat Autor. Hinc primum vivens, & ultimum, moriens. Est tamen *Cor insatiabile*, dabo libenter. Sic multi delieiis hujus mundi saturari non possunt, adhuc esuriunt post tot absorptas delicias. Sed quid causæ? In corde nihil potest subsistere, & stagnare, alias id suffocaretur quàm primùm. Vitia si in corde remaneant, & in eodem hospitantur cor & anima statim suffocantur.

VII.

PUlmones *Regia ventorum*. Flabellum potius nominarem ego, & follem, qui huncsolummodo, quem intra sorbet, expirat aërem. Ad hoc faciendum Pulmo cogitur, & servus est aëris prementis, musculorúmque thoracicorum, & diaphragmatis reprimentis, ut infrà videbitur. Ex motu utróque resultat *motus perpetuus* hic subolfactus, verùm in thermoscopio aër submotu simplici perpetuò movetur. Idem plurimas Hydraulicas movet perpetuè machinulas.

VIII.

VEntriculus Jovis Vulcania. O misera intestina, quibus tela cuduntur & fulmina! non miraberis, si colicam iliacámque pati illa videris. Sed quomodo in piscibus Vulcania subsistet, in quibus nullus ignis accensus est? frigidissimi sunt, & tamen durissimos cibos, illos etiam quos homines imò hominem ipsum, digerunt. Non igitur indiget ventriculus officinâ Vulcani, qui non calore, ùt olla carnes, sed fermento sibi à naturâ insito, & per arterias, vi sanguinis, & chyli, lymphæq; allatorum augmentati, coqvit alimenta.

IX.

HEpar *Ignis subterraneus*. In piscibus & ranis, aliisque insectis, frigus aut aquam subterreneam dixeris necesse est, quia in his nullus calor, nullus ignis. Cur ergo in homine ignis appellatur? quia vitæ *principium?* sed quomodo vivent pisces, quibus deest ignis? si alium, quam ordinarium Ignem putâsti, tum non subterraneum, sed cœlestem dicere oportebat.

Immortalitate donatur hepar Sed jam pridem celeberrimus in Dania Anatomicus Bartholinus illi mortuo epitaphium posuit. Volebat aliquis suscitare mortuum; ast quia con-

tra

DISCURSUS BREVIS
SUPER
OPUS MIRIFICUM
Sextæ Diei,
JOANNIS FERDINANDI
Hertodt Med: Doctoris,
Factus
à
VVENCESLAO MAXIMI-
LIANO ARDENSBACH,
Philosophiæ & Medic: Doctore.
M. DC. LXXI



PARS PRIMA.



Ominem, in quo Divina Majestas finem creationi imposuit, sexta dies Creationis exhibuit universo. Sanè consummatissimum opus! Ast bonum esse, non placuit attestari Creatori: vel quia similitudo omnis boni etiam bona foret, vel quia homo per suum liberum arbitrium priùs operari debuit bonum, ut fieret bonum. Admirandum Dei opificium homo est! Cujus vel minima laus est, vocari aut esse microcosmum. Hoc enim commune habet cum omnibus animantibus, etiam cum minimo pulice. In hoc invenies planetas ac sidera, orbes, suas & ille habet intelligentias, ut extra archetypū quod est, in eo totum inveneris. Contemplati sunt hoc divinum *per Aristotelem* animal, *per Helmontium* Divinam Imaginē Varij, multisq; laudibus extulerunt: quilibet pro suo genio & ingenio, captu, & conceptu. Noviter accepimus opusculum sextæ diei, in quo quantus esset Orator, demon-

monſtrat Autor: ità ut ſi illud laudibus non eſſe dignum exclamarem, falſum dicerem, neque ſolùm in Ethicam verum & in veritatem peccarem. Hic tropos, figuras, luſum in verbis, hícque omnes argutias deprehendes, encomia microcoſmo digna invenies, flores denique Eloquentiæ ex cornu copiæ effuſos amabis. Seria quoque, velut Phyſica & Medica, nè putes oblivioni data. Verbo, nihil omiſſum, quod Homini appropriari, aut de eo dici concipíque poſſit. Quia verò ſeria facetiis ſunt obruta, eaque altiorem, quam Rhetoris eſt, ſcientiam ſpirant, ínque ijs non conveniunt Medici, placuit ad calcem hujus diſcurſus eadem diſcutere. Interim & meos immiſcere ſales, & allatas facetias per partes conſiderare non erit incongruum.

I.

CErebrum *Regiam Solis* vocari audio. Sed &, *Regem* nominare placet. Jam ex aula evadit in *Mundum*, & nobis trium Cœlorum orbes ob oculos ſiſtit. Sed ſi pericranium omiſſum non fuiſſet, præter *Cranium, duram & piam Matrem*, quatuor Cœlos habuiſſemus. *Empyreum dura Mater eſt, & ſtellæ cogitationes:* aſt cogitationes in membranis cerebri fieri, nullus unquam poterit

 demon-

demonstrare. Intellectionum sedem *piam Matrem* hîc esse placet; sed jocosè dici posse fateor, quod non seriò, inferius agetur. Aula *vigiles* amat, *armamentarium* servat; *sinus quatuor* si vigiles putes, armamentaria non dices; & si armamentaria, quæres alibi vigiles. Vigil pro omnibus Cœlum, si tres Cœli cerebro cum Intelligentiis? frustrà vigiles sunt. Intelligentiis debiliores. *Nec Salomonis clypeos, Trojanas nec ex ubias* petieris, quando pro te indefessæ vigilant Intelligentiæ. Miraberis autem, quòd jam ex aula fiat *solium & thronus quadrigâ vectus*, si præter Memoriam, Intellectum, Imaginationem, Apetitum, sensum communem à Medicis requisitum addas, eúmque summè necessarium, quinque rotas deprehendes, nisi apetitum aut Imaginationem in sensum communem velis convertere: at non succedet. Quadrigâ sic dicta vehitur Rex, qui intelligendo fit omnia. Non vellem ego dici hoc de Imperatore Turcarum, alias & bos & stultus fieri deberent. Proteus ultimò videtur esse Cerebrum, ínque orbem conversum. *Centrum habet ubique, circumferentiam nusquam, nisi in DEO.* Placet conclusio, sed displicet confusio. Cùm enim hujus circuli centrum sit ubique, & Deus etiam sit ubique, circumferentia verò, ibi, ubi Deus, erit & hæc ubique. Erit ergo centrum,

 137

trum, & circumferentia loco uno, ac eodem. Admirabilem Mathesin! sanè Deum solum agnoscimus esse hujusmodi circulum, quin in se ipso totus est, tanquam in centro, & ubique in se ipso, ubique effusus in circumferentiam Nollem ego cerebrum pro Deo adorare quem Creatorem cerebri esse agnosco & veneror.

I I.

OCuli, *Mundus amoris*, ast immundus apud multos; toti prostant universo, & illis venditur microcosmus, & qui imo intrinseco sui infernum non habebat, postquam fit immundus totus, fit infernus. Verè tùm non mundum, sed mare mortuum dixeris, amoris scopulos. *In soles* jam ex scopulis mutantur *Cælum duos* pati cogitur. Monstrum sanè & mundum esse solem, & in mundo duos soles, sed amantibus hæc monstra familiaria, quibus etiam monstrum putatur esse formosissima rerum imago. Ego oculos Excubitores appellarem, qui prò salute totius Microcosmi excubant. Ast illi pigri detrectant militarem baltheum, malunt servire Veneri, & amori dare sedem. Amor trahit omnia, in oculum influunt omnia. Totum universum unico obtutu est in oculo, sed etiam in speculo. Oculus ergo & speculum sunt amo-

ris sedes, idem amanti repræsentant: sed quàm fragile hoc, ità & ille caducus est. Pupilla *centrum oculi, & quidem mobile.* Non dicerem ego, quia facile motâ fieret amor luscus. Pupilla crescit in *solem.* Sol corpus globosum, pupilla foramen rotundum: ergóne foramen obscurum Sol erit? Et si Sol? Oculus autem mundus? tum Sol in centro mundi positus Copernicanam producit sententiam.

I I I.

Aures *Mundus Pythagoricus.* Bonus Pythagoras, qui mundum fugiebat, in mundum excrevit! suppono, quòd non ejusdem aures, aliàs major Pythagorico mundus fuisset Midas. Sed quare bonus Pythagoras aures in mundum creavit? quia silentio delinivit easdem, ast Epicurus carminibus obscænísque verbis, conversatione impudicâ: ergo & aures sunt Mundus Epicuræus. Ego aures in mundum non evexissem quia his nihil cum eodem commune. Cœli musicam edant, verùm aures quando musicam edunt auditum obtundunt; sic qui tinnientes strepentes, murmurantes fluctuantes aures habent, minùs audiunt & deterius: sic sonantes præter naturam aures Musarum (sed discordantiâ si quis dicat, non errabit) antrum erunt. Mundus

dus Pythagoricus omnem excludit musicam intrinsecam, auscultant solummodo advenienti ab extrà sono. Cui aliquando Musa in casta & impura se ingerit, si auscultarent aures ad tubæ magnæ sonum, deponerent certè *amorem* de *sede* & fierent cœlum Beatorum, non viatorum, qui transeuntes evanescunt.

I V.

NAsus. *Capitolium* se factum miratur nasus, imò & *turrim Libani*. O nasuti, quis nunc à vobis erit in via tutus, nè in ipsum impingatis? Nescio, puto tamen mundum fuisse Capitolium Romanum; quomodo ergo jam Nicotianæi subsistent? Moris erat in Capitolio quotidie thus adoleri, ast hìc nescio quibus odoribus recreabitur Jupiter, sanè Olidum *tribunal*! Sed odor ejusmodi temulentum addet Judicem, minúsque potentem discernere odornm causas, quomodo ergo tum subsistet Judicium? Verùm in vestibulo solùm Augiæ stabulum invenetis, interior Judicii locus purus & mundus est. Processus mammillares duri extrà cranium, non permitteut illas fuligines & uligines penetrare ad intima. Nolim tamen ego dicere, odores in Judicem nactos esse processus mamillares, aperiet dubij causam pars secunda.

 V.

V.

LIngua *Mare microcosmi.* Quomodo mare, cum solida sit? vel quia tot voravit & glutiit Homines? voravit & gladius? plures autē absorpsit gladio, nō tamē tot, quot Mors, quæ nullatenus vocari mare expetit. Muscipulā aliqui vocârunt Ethici, capit enim & decipit. CitharamOrphei, quæ trahit & pertrahit, alij dixêre: ast sæpius fallit, vanamEcho post se relinquens. Fallit lingua & assecurat, docet, & dedocet, lenit & irr tat. Si nunc etiā *vita & mors sunt in manibus ejus*, tunc certè Deus est. O pessimum talem Deum! quia lingua *quid pessimum!* Non tamen & *optimum esse* dicas velim, quia Deus, qui optimus est, non est etiam pessimus.

Coquus tandem & *molitor* lingua jam facta est, *piscator*, *piscis*, *præda*, *prædator*, *mare* rubrum. Bone Deus! nec Proteus in tot figuras se potuit mutare. Hoc tamen mirum, quod colores instar Chamælæontis imitari nesciat: si enim tinctura ciborum non induitur, quomodo Myrtilis comestis nigricat? vel croco ingesto flavescit? ast superficietenus & ad breve tempus colorem ejusmodi induit, non autem extrinsecè. Vix credo crocum non penetrare ad intima. Si enim canes in utero Matris ex Comesto croco fiunt crocei, cur

cur non & lingua flavescat? Verùm utrobìq; idem evenit. Lingua superficietenus tingitur, & canes ad extrà liquamine flavescente pinguntur, quo ablato & abluto, nigri, albi aliorúmque colorum, teste experientiâ canes prodeunt.

V I.

Cor *primum mobile.* Quomodo hoc? jámne perversa est mundi machina? primum mobile, quod omnes alias Sphœras circumdat, sextúmque motu diurno rapit, intrà easdem hospitabitur? Hoc plusquam Copernici sapit sententiam. Nam idem primum mobile ex suâ sententia expunxit, & Terræmotum diurnum tribuit, Astris aliis motum annuum. Non abluderet quis à verò, qui cor antliam vel molam aliquam appellaret, quia toti sanguini movendo servit. Hic primum mobile reverà est, quia antequā cor esset, illud est, & movet se, prout Harueus de generatione animaliū observavit.

Motum regularem à medio fieri vix credo, quia motus est transitus ab extremo ad extremum, non ergo potest incipere à medio, sic cor, quando systolem & diastolem exercet, transit ejusdem mucro ab uno ad alterum latus modice. Quid juvat autem, si cor domus, esset primum mobile, cùm non sit *ulti-*

mum moriens? Vivunt animalia aliqua per tempus aliquod exempto corde, & corde non pulsante amplius in animalibus, adhuc in venis trepidat sanguis. Ergo sanguis primum erit mobile, prout etiam numero tertiodecimo asseverat Autor. Hinc primum vivens, & ultimum, moriens. Est tamen *Cor insatiabile*, dabo libenter. Sic multi delieiis hujus mundi saturari non possunt, adhuc esuriunt post tot absorptas delicias. Sed quid causæ? In corde nihil potest subsistere, & stagnare, alias id suffocaretur quàm primùm. Vitia si in corde remaneant, & in eodem hospitantur cor & anima statim suffocantur.

VII.

Pulmones *Regia ventorum*. Flabellum potius nominarem ego, & follem, qui huncsolummodo, quem intra sorbet, expirat aërem. Ad hoc faciendum Pulmo cogitur, & servus est aëris prementis, musculorúmque thoracicorum, & diaphragmatis reprimentis, ut infrà videbitur. Ex motu utróque resultat *motus perpetuus* hic subolfactus, verùm in thermoscopio aër submotu simplici perpetuò movetur. Idem plurimas Hydraulicas movet perpetuè machinulas.

VIII.

VIII.

VEntriculus Jovis Vulcania. O misera inteſtina, quibus tela cuduntur & fulmina! non miraberis, ſi colicam Iliaeámque pati illa videris. Sed quomodo in piſcibus Vulcania ſubſiſtet, in quibus nullus ignis accenſus eſt? frigidiſſimi ſunt, & tamen duriſſimos cibos, illos etiam quos homines imò hominem ipſum, digerunt. Non igitur indiget ventriculus officinâ Vulcani, qui non calore, ùt olla carnes, ſed fermento ſibi à naturâ inſito, & per arterias, vi ſanguinis, & chyli, lymphæq; allatorum augmentati, coqvit alimenta.

IX.

HEpar *Ignis ſubterraneus.* In piſcibus & ranis, aliiſque inſectis, frigus aut aquam ſubterreneam dixeris neceſſe eſt, quia in his nullus calor, nullus ignis. Cur ergo in homine ignis appellatur? quia vitæ *principium?* ſed quomodo vivent piſces, quibus deeſt ignis? ſi alium, quam ordinarium Ignem putâſti, tum non ſubterraneum, ſed cœleſtem dicere oportebat.

Immortalitate donatur hepar Sed jam pridem celeberrimus in Dania Anatomicus Bartholinus illi mortuo epitaphium poſuit. Volebat aliquis ſuſcitare mortuum; aſt quia contra

tra naturam est resurgere mortuos, solíque illos suscitare Deo competit, mansit & manebit mortuum. Mortuum scilicet, quoad munus sanguificationis, quod illi falsè adscripsit antiquitas, debitum alij. Colatorium bilis nunc audire debet, & hanc vitam vivere. Occupatior circa bilem, ut eam in vesiculam ableget, ùt infrà videbimus, & lympham superfluam deorsum per lymphaticas propellit. Sed, &, hîc *amor se habere sedem contendit*. Valdè benè; si fuerit importunus vel in vesiculam felleam, vel in Lymphatica lymphatus, vel felleus, amandabitur. Titulos alios nolit ambire hepar, nec enim *Matrem* esse, neque *nutricem*, ei convenit, quia nullo alimento corpus reficit.

X.

Lien *Infernus Parvi mundi*. Felix infernus, qui & tolli potest, & ob influxum Luminis vitalis cum sanguine per arterias advecti copiosissimum Cœlum potius esse meretur. Si autem tot lumina vitalia à corde recipit, quomodò nunc *tenebrarum abyssus, et atra bilis receptaculum?* Non vellem ego hanc Lieni facere injuriam, à quo affectionem hyppocondriacam, prout infrà dicetur, jure eximo. Si tamen tibi infernus est, & ex illo redemptio nulla: tum certè nunc primò bo-

nus

nus Christianus esse videtis, siquidem Origenis hæresim in Tartaro-Mastyge tuo fovere, dum hippocondriacam affectionem curare docebas, palàm professus es. Facilis autem ex inferno lienati per hoc & hyppocōdriaca affectione liberatio.: Si enim lienē excideris, tolles & infernum & affectionem hyppochondriacam si ibi resideat.

Flebitne semper homo, postquam Lienem excidisti? ast ridebit ut prius cum Liene, sicque risibilitas ablata non est, & Dialectici risibilitatem proprietatem hominis esse asserentes, non ringuntur sed triumphant. Nullus in inferno ordo, unus contrarius alteri. Pariter in Liene fieri arbitrabaris. Sed sanguis, per ramum splenicnm in Lienem influens, licet varias contineat partes, non tamen contrarias, quia se mutuò destruerent. Contraria enim si contrariis curantur, tum certē se non compatiuntur.

X I.

RENES & Vesica, *Naturæ Separatorium.* Amori hîc rursus in renibus sedes locatur. Sicut Venantes in somniis venantur, ità & amantes somniant amores. Sed labilem amori sedem dabis, quia in liquido habitabit, lubrica cadet, quia fundamentum super quo est, lubricum est. Amandandus

amor

amor aliò, sit in oculis & corde. Dicamus Renes separatorium Microcosmi, non verò Seminis officinam, neque enim quidquam renes humano Semini contribuunt ut Malpighius de Viscerum structurâ, Moæbius, de Vsu Renum, & Lindenius in sua Anatomia loquuntur. Indignabitur certè amor, si in urinâ & sordibus volutetur. Solis sororem Lunam, si renes esse ambias, dono & accepto. Hæc frigida & humida amorem fovere nescit, nisi velit esse amor frigidus.

X I I.

Vterus *Alma tellus.* Miserandum est Uterus monstrum si tellus est, quia cum tellus in centro sui absconditum habeat infernum, eundem etiam necessariò uterus circumferet. Et cum homo in ejusdem medio concipitur, in inferno priùs fuit, quàm nasceretur. Non mirum igitur, sit tot vadant in infernum.

Et dignum tali ferâ habitaculum; si enim priùs fiamus carnifices quam homines, didicimus illud sanè non nisi in Inferno. Hoc tamẽ mirum mihi, quòd *carnifices non sint* homines, quia prius fiunt *carnifices, posthac fiunt Homines* Justum huic monstro habitaculum esset, nisi à primo Conceptionis momento, statim hominem agnoscerem, qui se ipsum *non coinquinat*


nat effundendo urinam, quã non emittit, alias miser urinam bibere cogeretur, unà cum liquore circum ambiente, quo vivit infans.

XIII.

EXtremæ Partes, *microcosmus visibilis.* Trahitur hic miser homo, & per vim Mundo magno assimilatur. Extenditur *à polo ad polum, ab* [A]*ntarctico ad Arcticum. Capilli vena, & arteria, sunt frondes & arbores.* Nunc scio, quòd in Polo Arctico sint sylvæ, siquidem in capite hominis capillos inveneris. Quid mirum ergo, si in Luna homines esse aliqui dixerint? Et certè si Renes in microcosmo sint idem quod Luna in Megacosmo, prout numero undecimo dictum, indeque generatio hominis procedit, tum dubium sublatum est.

In Promontoria & magnos continentes se manus & pedes exporrigunt si tamen caput, manus & pedes, pentagonum constituunt, tum Promontoria cum Polis Arctico & Antarectico, in eodem comprehenduntur circulo. Sic terra & Cœlum jam idem effecta sunt. Zonas omnes diviserunt Astronomi regulariter, in homine assignatas Zonas ad quam Spheræ regulam reduxeris, nec dum in Astronomia invenio. Optimum, quod dici reperio, est quod sanguis in primum mobile assumatur

tur; non ergò cor erit primum mobile ut n. 6. dictum, nisi prima mobilia duo velis asserere, quod est contra naturam.



PARS SECUNDA

QUÆSTIO I.

An Intellectio fiat in Pia Matre.

AUdimus hic afferri n. 1. de cerebro, ubi *isti intellectionum domicilium* transscribitur. Sed contrarium tota tenuit Antiquitas, quæ facultates, rationalem, & animalem in cerebro locavit, inque eadem spiritus animales, non solum Veteres, sed & Recentiores & moderni locaverunt, & hi hucusque fatentur. Vide Mœbium fusè agentem de Usu cerebri in suis fundamentis Physiol: Vide quoque celeberrimum Anatomicum, in Anglia moderno tempore florentissimum Charletonum, in sua cerebri anatome, in qua cap. 6. 7. 8. 9. præcipuè 10. Spirituum animalium generationem in cortice cerebri fieri elegantissime describit, locum facultati animali in medulla cerebri constituens. Hi sunt recentissimi. Ex Antiquioribus vide Bauhinum in Instit. Anatom. de cerebro ubi hæc

cere-

cerebrum animalis facultatis sedes, &c. Jam sic arguo, spiritus animales sunt instrumenta animæ pro facultate animali exercenda, hi nascuntur & servantur in cerebro, & non in membranis, ergò in cerebro existit facultas animalis. Nam ubi instrumenta ad operandum, ibi & operatio. Si ergo Animalis in cerebro, ergo & Rationalis, quia in homine non distinguuntur realiter. Si rationalis facultas, ergo & intellectio; quia rationalis facultas hanc producit. Non erit ergo in Pia Matre intellectionum domicilium quod falso assertum erat.

QUÆSTIO II.

An odoratus sit in Processibus mamillaribus locatus.

Dicitur ab Autore n. 6. de Naso, & ita credidit antiquitas sed Neoterici diligẽtiores & accuratiores Anatomici, qui os cribriforme diligenter perscrutantes, nec aërem, nec Spiritũ, quemcunq; violenter intrusum, per illud, cerebrum subire posse, testati sunt. Cùm igitur odorum vector sit aër, si ille per os cribriforme ad processus mamillares transire non potest, consequenter & odor. Odoris quidem Organum nares sunt; ast odoratûs sedes in sensibili narium tunica, & non alibi est. Vide fusissimè hanc

riam tractantem Schneiderum solertissimum Anatomicum, de osse cribriformi & cuneiformi. Ubi pluribus demonstrat, nec processus mamillares, nec nervos olfactorios, esse odoratûs organum. Et illi qui per odores purgantium purgantur, & in lipothymia subito odoribus reficiuntur, arguunt, odores, per arterias narium, in sanguinis massam, non in cerebrum aut processus mamillares inferri. Ergo non sunt organum odoratûs processus mamillares.

QUÆSTIO III.

An cor sit primum mobile.

ASseritur quidem n. 6. de corde, sed n. 13. de Partibus externis, sanguis, non cor, tali dotatur privilegio. Harveus de generi: animal: post mortem adhuc trepidare sanguinem observavit. Charleton in Oeconomia animali exerc: 6. de sanguinis motu circulari: sanguinem causam esse motûs cordis, plurimis argumentis demonstrat. Clarissimè autem hoc experimento. Apponã verba propria. *Si vinculo intercipiantur vasa cordi adferentia, vena cava nempè, & arteria venosa, corde tribus aut quatuor contractionibus inanito: motus ejus definit, reliquusque erit tantùm undularis motus, & palpitatio, & ablata*

144

lata ligatura motum recipit: argumento certè Herculeo cor à sanguine ventriculos distendente & irritante continuò moveri, instar rotæ molendinariæ perpetuò aquarũ insultu agitatæ, &c. Verbo dicam: sanguis copia sua movet cor, & cor constrictione sua propellit sanguinem, & ità utriusque motus perennantur. Erit igitur sanguis primùm mobile non Cor.

QUÆSTIO IV.

An Pulmones gravitent & premant Diaphragma in Inspiratione.

AFfirmativam tueri n. 7. de Pulmone, palam est Authorem. Quæ sententia apud antiquos Anatomicos quidem subsistet non tamen apud modernos, qui armatis per microscopium, etiam minutissima observant oculis, qui non post mortem, sed in sectione vivorum animalium motus Pulmonis observârunt. Bartholinus Anatomicorum nostri temporis facilè Princeps, quàm fusè in suâ de Pulmonum substantia & motu Diatribe causam motus Pulmonum non in virtute Pulmonibus insita, sed in Diaphragmate existere demonstrat.

Erisne ergo adhuc Bartholino oculatior? Ergóne Tu Bartholino impinges falsitatem? Hic Anatomici Mundi oculus à toto erudito

orbe laudatus, tuas opiniones supprimet, ut Leo muscam.

Charleton in Anglia famosissimus Anatomicus adstipulatur Bartholino, & Exercita: 8. Oeconomiæ Animalis, evincit Pulmones à Diaphragmate velut follē manu ab extra posita dilatari, quare cum aëre eosdē impleri. Plura nè desiderabis? Ecce prodit Swammardam insignis Amsterodamensis Anatomicus, qui Machinarum Pneumaticarum & Hydraulicarum adminiculo ostendit manifestè, ob thoracis dilatationem, vicinum circa eundem trusum & propulsum aërem, ori naribúsque vicinum, intrò Pulmones per asperam arteriam impelli. Et sententiam suam ex fundamentis mathematicis clarissimè demonstrat in suo de Respiratione tractatu, qui videatur.

Ex his allatis cessabit quæstio, quis Pulmoni pondus addat, ut premat Diaphragma. Nam cum hoc motum naturalem etiam in fœtu obtinet, flaccido tùm Pulmone, quis non videat non Diaphragma à Pulmonibus, sed vicissim moveri? Dixerim ego tamen secundario id fieri à Diaphragmate, quia ab aëre, fit primario, ut sequens quæsto enodabit.

QUÆ-

QUÆSTIO V.

Quomodo fiat Inspiratio & Expiratio in Homine.

SWammardam in tractatu suo de Respiratione supra nominato ex machinulis inibi appositis Mathematicis, evincit Inspirationem fieri hoc modo.

Postquam infantis corpusculum recens nati prodiit ex utero, circum ambientem aërem à dilatato thoraculo premi, vicinúmque protrusum cogi, in os & nares patulas infantis. Unde aër in Pulmonem irruens, qui constrictus erat, inflat, ac dilatat eundem.

Quæret autem aliquis, quomodo primò thoraculus dilatatus est, & diaphragma subsidit ex formicato naturali situ, planum evasit, & per hoc aër propulsus est. Hic saltus est, hic laurea vincenti paratur.

Ecce Boyle Nobilis Anglus, Otto Hierikius (prior hic illo) Consul Magdeburgensis Mathematici insignes., per instrumenta ad hoc inventa deprehenderunt, & Mathematicè demonstrarunt, aërem natura sua, non esse levem, sed revera gravem, prout utriusque Experimenta, & demonstrationes. R. P. Schott S. J. Herbipolensis Mathematicus in sua Technica curiosa libro 1. & 2. collegit, &

ipse libro tertio commentariorum addit, & illis assentitur.

Idem rem ampliat, & non solùm gravitare aërem, sed & corpora omnia tam liquida quam solida circum ambiendo premere; Jam ego sic arguo: Si gravitat aër & premit omnia ambiendo, consequenter & corpus infantuli jam jam ex utero prodeuntis, in cujus adhuc in utero existentibus Pulmonibus & thorace, aër contentus multum rarefactus calore sanguinis & uteri, penes aquositatem quandam à Swammardam observatam invenitur. Quamprimum ergo in lucem prodit infans, rarefactus in thoraculo aër, multis gradibus externo levior, & sic in statu præter naturam positus prementi per os & nares extero aëri resistere non potest, quare non solum in thoracem; verum & in Pulmones (quos Malpighius in Epistola ad Borellum ex vesiculis parvis per modum botri sibi invicem appensis per multa Experimenta & per Microscopium observationes, constare demonstrat) copiosus irruit aër, tùm diaphragma quoque deorsum propellitur, & simul ventriculum & intestina deprimit. Pulmones autem flaccidi antea, nunc inflantur, & vesiculæ omnes incipiunt turgere. Fibræ Diaphragmatis (quod totum musculosum est) dilatantur & extrà naturalem situm constitutæ, simul cum inte-

sti-

ſtinis & ventriculo ad locum priorem redire contendunt, ſicque denuo ſe contrahunt & aërem cum violentia extrudunt, fitque tum reſpiratio, ad quod non parum juvant muſculi thoracici expirationi dicati.

Quia verò violenter ſe ad expellendum aërem diaphragma, ventriculus, & inteſtina reliquæve compreſſæ partes movere debent, acquirunt etiam in illa protruſione ſitum, quam in utero habuerunt ſitum, ſicque ſurſum elevantur.

Evenit ut ad naturalem ſitum redire tentantes, per thoracem aër vicinus pulſus novum in os & nares impellat aërem. Pulmones cum ſuis veſiculis hic ſe per modum follis aërem intrò, & exſorbentis habent perpetuò.

Hæc nova deorſum verſus diaphragmatis ab aëre preſſura cogit diaphragma rurſus ut antea ſe comprimere, & hoſpitem peregrinum expellere. Fit ergo ut ex luctâ utriuſq; inſpirationis, & expirationis motus perpetuet donec in ultimo morientis hominis exſpirio, aër à diaphragmate jam vita deſtituto non extrudatur amplius ſicque inflatus Pulmo remaneat.

QUÆSTIO VI.

An bilis in vesicula fellea existens bilem ex sanguine affluentem generet, vel hepar bilem separatam in vesiculam amandet.

NEscio quomodo combinabis hæc ad invicem hepar bilem separare dicitur n. 9. versic: *utile*, alibi verò versic: *dicerem* eandem à bile in vesicula generari adstruitur. Si ergo vesicula bilis bilem generat, quomodo hepar antequam genita sit, eandem separabit?

Sed dices bilem separat hepar, eamq; per porũ colidochum in intestina ablegat, hanc verò, quæ in cystide invenitur nõ separavit& in vesiculam amandavit hepar, sed bilis in vesicula se instar aceti ex sanguine augmentat, & in intestina per suos ductus effundit, sed inane commentum, potest hepar separatam bilem in porum biliarium mittere aliquâ ex parte, poterit etiam residuam in vesiculam amandare.

Tractat ex professo hanc materiã sæpius laudatus Malpighius Bononiensis Anatomicus opusculo suo, de viscerum structura, ubi hepar glandularum invicem sibi cohærentium innumerarum esse congeriem per suas obser-

servationes deprehendit, & sententiam de bilis separatione stabilire volens, objicit sibi sententium de bilis in vesicula suâ ex affluentibus proportionatis, sanguinis particulis augmentationem estque hæc sententia Clarissimi Silvij Dele Boe, sed quam pulchre bilem ex glandulis Hepatis in Cystin abire experimento didicerit, sequentia nos informabunt.

Inquit. *In fele paucorum mensium, ubi insigniter prominet vesicabilis, hujus Cystis collum filo innodavi, eamque vulnere medio exinanivi mox ligatura extremum coledochi, ubi in intestina hiat, coërcui: deinde supervivente adhuc per insigne temporis spatium eodem animali, turgentem reperi interceptum biliarium porum, portionem coledochi vel communis ductus, & ut spem omnem (notetur) à cystis opere in separandâ bile eximerem, facto in ejus collo arcto vinculo, cystim ipsam recisam projeci, & tamen eandem subsequi in exaratis poris ab affluente bile turgentiam expertus sum, contentam insuper in ejusmodi turgescentibus ductibus bilem digito, vel alio sursum abigere tentavi, & illico impetu eò redijt, unde, nisi tum summa vi repulsa est.* Ex hisce dictis patet evidentissimè, bilem ab hepate separatam partim in vesiculam partim in porum bilarium amandari. Non ergo bilis per modum aceti à bile generabitur.

QUÆSTIO VII.

An melancholia aut Atra bilis cum affectione hypochondriaca in liene sedem habeant.

AUthor Opusculi, sextæ diei operis mirifici statuit utrumque n. 1. de Liene. Verùm metuo, ne ipsum pœniteat, si enim Helmontium de passiva Humoristarum deceptione legerit, inveniet argumentis Helmontianis (quibus melancoliam aut atram bilem inter humani corporis humores non inveniri demonstrat) se non posse respondere. Ideo per Helmontium, nec bilis, nec pituita, nec melancolia sunt causæ morborum, imò nec in rerum natura excepta bile Cysticâ, facilè ergò sedem in liene non habere melancoliam concludemus.

Faber Monspeliensis Medicinæ Professor in sua universalis sapientiæ libri tertij præfatione, idem statuit hisce verbis.

Triginta annis cæcus omnino fui in curatione morborũ, nihil jucundi, certi tuti invenire potui, quamvis Hipocratem & Galenum diu, noctúque pervolverem toto hoc 30. annorum spatio, & anatomicis operibus vacarem, ut dissectis cadaveribus multis, tum humanis, tum brutis discernere possem, & invenire causas efficientes, & materia-

teriales morborum, nullibi tamen invenire potui focos & nidos humorum putrescentium, nullibi inveni pituitam putrem, nec utramque bilem labe contaminatam, nullibi locorum in homine sano, nec in ægroto invenire potui.

O dignum veritatis amatorem eloquium! qui humano respectu postposito, loquitur pro veritate! Jam ergo gaudebit miser Lien, quod non ab omnibus cloaca & sentina melancholiæ audiat. Horum duorum Medicorum pro mille aliorum stant testimonia, qui incurabiles poterant curare morbos, & lapidem Philosophorum habuerunt.

Sed non sunt plures viri cordati? Prodit Willis in sua de fermentatione, & Febribus Diatribe, postquam totam sanguinis massam consideraâsset, & omni possibili modo anatomisasset, sic inquit c 1. de febribus. *Cruoris massa ex opinione veterum, humoribus, nimirum sanguine, pituitâ, bile & melancolia constare perhibetur, pro hujus, aut illius humoris eminentia diversa temperamenta efformari, atq; propter eorum fervores, atque exorbitantias, ferè omnes morbos oriri statuunt.*

Hac sententia, licèt à Galeni temporibus hucusque Medicorum scholis increbuerit, nostro tamen sæculo cui sanguinis motus circularis, ejusque aliæ affectiones, prius incognitæ, innotuerunt, aliquantulum suspecta esse cæpit, nec ità

passim pro solvendis morborum phænomenis usurpari. quippe ejusmodi humores sanguinem minimè constituunt, verùm qui sic appellantur (excep o sanguine) sunt tantum cruoris recrem nta, quæ debent ab ipso continue excerni. Est enim sanguis revera humor unicus.

O pro veritate dimicantem verum sanguinis Anatomicum! Sanè magnæ scientiæ & Experientiæ sunt hi tres viri, quibus resistere, ferè nefas est. Videant nunc illi, qui in omnibus morbis nihil aliud quam bilem melancoliam, pituitam, patientum auribus insonant, ut docti videantur, quomodo subsistent.

Ego litem meam facere nollens, quid sentiam taceo, alibi in alio opusculo aliquando dicturus.

Sed concesso melancoliam dari, & atram bilem, Lienem tamen ab ipsis eximi contendo, & in libertatem vindicare volo. Producam pro me loquentem Higmorum Anglum, celeberrima in Oxoniensi Universitate Medicinæ Doctorem, qui quod in veritate de Liene, & hypochondriaca affectione, deprehendit, palam protulit.

In Liene melancoliæ esse sedem, nec ille, nec Mœbius in Fundament: Physiologic: nec Malpighius in in sua viscerum structura de Liene invenerunt. Pridem jam ab Anatomicis

 149

cis oculatioribus sincerioribusque hæc sententia explosa est cachinnis & sibilis. Argumenta contra melancoliæ in liene sedem in hunc sensum producit Higmorus: Si melancoliæ sedes esset in Liene, inque eo à sanguine separaretur, haberet utique vas excretorium, per quod illa excerni deberet; velut hepar aut renes. Sed non habet ullum vas excretorium, ergo Lien non est melancoliæ sedes, aut receptaculum.

Majoris sequela probatur, si non haberet vas excretorium tum in substantia [dicam cum Malpighio cellulis ad instar favi mellis quadratis, membranulis meris constantibus] hæreret Succus, & Lieni morbum pareret, sicque cum melancolia sit acidi saporis, esset totus acidus. Sed talis sapor in Liene nec gustu, nec ratione deprehenditur, ergo talis Succus in substantia ejus non continetur. Minor probatur, quia projectus in lac Lien, illud non coagulat, quod tamen facit ventriculus vituli, licet non sit gustu acidus. Major probatur, quia talem saporem & ejusdem effectum producet Succus restagnans, qualis est in qualitatibus secundis, sed assignatæ qualitates Succi non sunt in Liene, ergo nec Succus, cui hæ qualitates soli competunt.

Cum igitur in substantia Lienis Melancolicus Succus non reperiatur stagnans, necessariò

riò si inibi sedem posuit, excerni debet, ergo habebit vas excretorium.

Sed tale vas Lien non habet, ergo non erit melancoliæ receptaculum Lien.

Probatur subsumptum; Minor, primi armenti. Lien non habet ullum vas, quod affluentem per arterias exciperet sanguinem, nisi venas, per has melancolia non excernitur, quia hæ sunt rami Venæ portæ, & tendunt in hepar. Ergo melancolia in hepar veheretur, & quia sanguis percolatus ibi in cor ascendit & rursus per totum circulatur. Sic necessario melancolia cum sanguine circulatur. Ah omnium Absurdorum absurdissimum! sic fit concesso uno absurdo sequuntur plura absurda. Quales non morbos in hepate produceret melancolicus Succus? Sed assignatur Lieni vas exeretorium, vas breve in ventriculum exporrectum. Sed qui ligatum vidit per medium vas breve, & sic nihil à liene ad ventriculum afferre, sed potius ab hoc auferre, tâm stolidas non erit, ut hoc asserat. Ergo verùm est Melancoliæ sedem non esse in Liene, quia consequentia argumenti primi est in formâ.

Si ergo Lien melancoliam (certè & Potentes) de sede deposuit; adhuc nè miserabile monstrum hypocondriaca affectio, quæ melancoliam pro causa materiali habet, pro so-

lio

lio cum Liene decertabit? sapienti sat dictum.

Ventriculus est acidi illius melancolici (sic vulgò dicti) Succi cusor, & conservator, propterea sedem sibi in illo affectio hæc quæret & inveniet. Quomodo id fiat, legatur Higmorus de affectione Hypochondriaca, Svvalve etiam in suo Pancreas Pancrene, pag. mihi 77. & sequentibus aliis experimentis evincit, melancoliæ sedem nõ esse in Liene.

Idem Malpighius in Viscerum structura c. de Liene. Sane cæcus esse vellet is, qui tot oculis visa, non adesse assereret, & rationi obversaretur, si tantis Anatomicis fidem derogaret. Sat ergo de his; ego longior esse non debeo, nec volo.


CONCLUSIO.

Jocis respondi jocosè, & simul jocos in serium verti, seria seriè, & fundamentaliter tractavi jamque Sabathum, cum immineat, finio, & sic concludo.

ANIMADVERSIO
IN
CROCOLOGIAM
HERTODIANAM,

VVENCESLAI MAXIMI-
LIANI ARDENSBACH,
Philoſophiæ & Medic: Doctoris.

M. DC. LXXI



Ertium opuſculum emittit in lucem Author nominatus, quod an maturius prioribus, vel ijſdem crudius ſit, judicanti pateſiet. Ego ſanè Tartaro-Maſtigem ſuſpicio magis, quam Crocologiam. Quia in illo aliquid novi nobis proponere ſatagebat, hic vero omnia jàm ab alijs pridem dicta, in unam maſſam compilavit, ſi illa quæ aliena ſuut abſtraxeris, pàrum Authori ſupererit. Laborem tamen non vitupero, ut, quod in pluribus quærendum eſſet libris, invenies in uno. Excedere tamen mihi videtur, dum ut crocum omnes curare morbos probet, conquirit ſolummodo ejusmodi compoſitiones, quibus Crocus etiam pauciſſimâ quantitate inſit, non conſiderans, an illud medicamentum ſit expertum, ſolùm Authorem allegâſſe ſufficit, videat ille qui vult experiri.

Sed quid juvat, an illud Medicamentum Crocum habeat admixtum, ſi alijs morbo appropriatis medicamentis ſuperetur multa mole? Quid grana aliquot croci facient inter plurimas drachmas aliorum ingredientium

tium cum crocus sit calidus, & siccus per Auth: si misceatur frigidis & humidis medicamentis, tum obruetur ipsius activitas vel impedietur.

Zwelferus in suis, in Pharmacopæam Augustanam, Animadversionibus pluribus in locis tales inconcinnas denominationes & virtutum appropriationes irridet & refutat. Sed non solum Crocologia talem inconcinnitatem, & lepiditatem nacta est, verùm & plura aliorum opuscula. Videntur mihi esse ejusmodi scriptores per modum illorum, qui dum toto mensæ tempore aquam biberunt, & demum unicum vitrellum vini delibarunt, vino se tractatos & impleros gloriantur. Hic sanè in plurimis compositionibus in Crocologia positis, paucissimus respectivè crocus est, quid ergo ille faciet, si vel unum aut alterum granum ejusdem assumatur?

In aliquibus habet se per modum cordialis, aut odoris causa aut coloris appositus, in aliquibus videtur esse impertinens, & si in pluribus compositionibus omitteretur. Æque reliqua idem sine croco facerent, quod cum eodem facere putantur.

Sed amabo, quis est iste modus scribendi libros? Proponit sibi aliquis materiam scribendi, v. g. Mumiam, quidquid de illâ invenit, sive pertinens sive impertinens omne

 conjicit,

conjicit, & compilat in unum, ut fiat mirabilis massa. Proponuntur morbi omnes in illis, ubique debet mumia, vel proposita materia intrare. Quæruntur ergo ex plurimis Authoribus remedia, quæ illam contineant, si quid invenitur, Medicamentum extollitur laudibus, quod si in praxi subsistit, tum reliquis adjunctis, non huic proposito, ad scribendum erit, quia reliqua & mole & activitate fortiora. Est etiam multis Authoribus ejusmodi mos pessimus, quod quidquid scribant pro illo aut altero morbo esse proficuum, summis id evehant laudibus, jam dicunt esse arcanum, jam specificum, jam Dei donum, jam probatissimum, jam anchoram sanitatis humanæ, ita ut piaculum credas, si tale medicamentum in curatione alicujus morbi omittes, sed postquam illud quàm optimè præparatum experientiæ commiseris, deceptum te, & patientem fors perditum dolebis.

Trahit unus alterum, alter describit ab altero, primus in suo cerebro adinvenit medicinam, apposuit illi speciosum titulum, alter fidens alteri, inserit illam in suum opusculum, tertius rursus exscribit, & sic & quartus; veritatem & effectum medicamenti, primus non est expertus, decepit secundum, secundus tertium, & sic de reliquis. Quis ergo nunc pœnas luet tantæ temeritatis? patiens

miser

miser qui à talibus medicamentis non juvatur si non perditur.

Jam aperiant oculos cordati Medici, & dent suum sensum, quid prosunt ejusmodi librorum consarcinatores Reipublicæ medicæ, aut generi humano ? qui ex alijs libris descripta, non probata, non experta inventa in unum conijciunt, ex antiquis lappis novam vestem faciunt ? nunquid melius esset inutili tali labore supersedere, vel si nimius ad libros scribendos pruritus adest, in experientiam rerum se immergere, inventa medicamenta experiri, observationibus illustrare, nihil scribere, quod non firmissima ratio evincit, vel experientia convincit.

Durus est iste stylus, ferreis laboribus indiget, pauciores haberemus libros, ast meliores & tales, qui Patientibus magis prodessent. Libro speciosus præfigitur titulus, si ipsum emeris & perlegeris, pecuniam gratis impensam necessario dolebis.

De Crocologia quid sentiendum, ego nihil dico, judicent illi, qui illam penitius ruminaverint. Multa impertinentia adjuncta sunt. Mures capiendi ac Muscipulas conficiendi modum docere, Medicum non decere arbitror. Cultura Croci quia ad Botanicam trahi posset, aliquatenus tolerabilior.

Medicamenta varia, quæ docentur parari ex Croco, fateor, lubens, parabilia esse, sed croco per præparationem nihil accedere judico, qui totus purus, & quasi totus est essensificatus. In minori aut commodiori forma illum sumi posse, hoc vel illo modo præparatum non est inconveniens. Interim aliquæ præparationes movent dubium, & chymici dubitabunt ejusmodi præparata in operatione successura. Optimus Iudex erit praxis & experientia, quæ consulenda. Morborum definitiones plurimæ sunt communes, & antiquæ, aliquæ novæ, quinque etiam hic repetitas excussi in Tartaro clypeo, non dum alias vacat subvertere spero brevi venturum tempus, in quo omnes morborum definitiones & causas tam Antiquorum, quam Recentiorum in examen revocabo, & qualiter quælibet in experientia subsistat, & veritate, demonstrabo, inter quas & in Crocologia positas sub censum traham. Interea placet modicum Quæstiones hic appositas percurrere.

QUÆ-

QUÆSTIO I.

An crocus sit Napelli Antidotum?

FOrestus dicat licèt Antidotum, non tamen sunt plures, consule Sennertum Jonstonum Macasium & alios. Forte talem Napellum putavit Forestus sicut crescit in Polonia, & innocuè, ut hic dicitur assumitur, tum crocus facilè erit Antidotum. Sed non credo Polonos vesci Napelli floribus, quia certè illi venenosi omni loco reperti sunt.

Si tamen veritas probari posset necessario transplantationi, prout in arbore mali perfici, adscribendum esset, non verò Croco, neque enim Poloni unciam unam Croci devorant una vice in jusculo, prudens quilibet sciet, quid fieret, si uncia una in unam mensuram aquæ injiceretur, multa Croci filamenta insoluta mansura, & præ amaritudine comedi non posset, & si tres drachmæ secundum Schröderum, & alios enecant, multo magis uncia una seu drachmæ octo. Si nunc ergo drachmæ octo Napello addantur pro correctione, Tunc Venenum veneno additum, fiétne alexipharmacum? Crocus dum necat, venenum est.

QUÆSTIO II.

An Crocus crapulam arceat vel faciat?

CRocus anodynum est, ut dicitur, Crocus somnum promovet, ut asseritur, vinum etiam somnum producit, dolorem sopit somno procurato, si hoc non arcet vigilias, nec sperandum de altero, Modica hæc est ratio, experientia D. D. Michaëlis, & quotidiana probat, juscula vini crocata, plurimum inebriare. Quomodo ergo Crocus temulentiam arcebit? si quis vino sepultus ad somnum propensus, ipsique applicetur somniferum vigilabit ne? sed plane ad rem.

QUÆSTIO III.

An Crocus somnum vel vigilias inducat.

CRocus Sulphure anodyno constans copioso adhibetur pro somno conciliando ab Authore, & ab aliis, & experientia adstipulatur. Interea etiam vigilias facere sicque pellere somnum, evincere vult Author

Author ex hac ratione, quod Crocus sit siccus & calidus, adeoque resistat somniferis affectibus tanquam humidis & frigidis. Jam, ego sic arguo. Crocus ideo arcet somnum, quia est siccus & calidus, ergo si arceat vigilias, erit frigidus & humidus. Consequentia probatur, si somniferi affectus sunt frigidi & humidi, ut hic dicitur, tum vigiles affectus prioribus contrarii erunt calidi & sicci, ergo si arcet Crocus vigilias, erit frigidus & humidus; quia contraria per contraria tolluntur. Ergo Crocus erit calidus, frigidus, humidus, siccus, & id quidem in gradu intenso. Ecce contraria in gradu intenso hic, se compatiuntur? Occultas si alleges qualitates, audies à Medicis sensatis, dici eas esse manifestam ignorantiam.

QUÆSTIO IV.

An crocus tingat fœtum in utero.

Vir maximi ingenij Præceptor olim meus D.D. Marcus Marci, in sua Philosophia restituta docuit, Crocum in uterum penetrare & liquamentum colorare, non tamen per hoc maculam flavam inducit fœtui cuicunque Crocus ingressus, quia superfi-

cie

cie tenus solummodo fœtum tingit & color Croceus ablui potest facillimè teste experientia. Si verò in Anatome Canis venæ lacteæ & sanguis nō flavescebant quomodo color in uterum venit inviolabilis? Si hanc quæstionē solvisset Author, plus æstimassem ego & alij, quam totam Crocologiam, Tartaro Mastigem, & Opus diei sextæ. Conatus quidem est varias apponere rationes, sed nihil evincit, quia ipse de assignatis rationibus dubitat, dum vel hanc vel illam rationem posse esse allegat. Alius dicet, ex his nullam esse.

Ego autem nunc difficultatem resolvendi tempus non habeo, cum tempore satisfaciam, quod jam omissum est.

FINIS.



156

157

